



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio Vndecima. De scientia indita, vel infusa animæ Christi, in sex
articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

QVÆSTIO VNDECIMA.

De scientia indita, vel infusa anima Christi, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de scientia indita, vel infusa anima Christi.

Et circa hoc queruntur sex.

Primo, utrum secundum hanc scientiam Christus sciat omnia.

Secundo, utrum hac scientia uti potuerit non conuertendo se ad phantasmata.

Tertio, utrum hac scientia fuerit collatiua.

Quarto, de comparatione huius scientia ad scientiam Angelicam.

Quinto, utrum fuerit scientia habitualis.

Sexto, utrum fuerit distincta per diuersos habitus.

Ratio ordinis.

CVmin qualibet scientia tria considerentur scilicet obiectum, actus & habitus, de scientia indita anime Christi tractaturus in hac quaestione S. D. primo de illius obiecto differit in art. 1. querens: utrum secundum hanc scientiam Christus omnia sciat: Secundo de illius actu, qui secundo loco post obiectum consideratur in scientia, tractat in duobus alijs articulis, nimirum secundo & tertio: in secundo quidem de actu siue usu huius scientia in ordine ad phantasmata: in tertio vero de collatione seu discursu eiusdem scientia: prius enim ordine naturæ est ordo siue conuersio ad phantasmata, quam collatio siue discursus: cum hic ex illa dependeat. Et quoniam ex dictorum trium articulorum definitionibus confurgit dubitatio de gradu nobilitatis huius scientia, quas ex doctrina primi articuli videtur maior scientia Angelorum, ex conclusionibus autem secundi & tertii articuli videtur inferior: ideo S. D. in art. 4. proponit quaesitum de comparatione huius scientia ad scientiam Angelicam querens, an hæc scientia fuerit maior scientia Angelorum. Denique duobus extremis articulis agit de ratione habitus huius scientia conuenienti, & prius quidem proponit quaesitum de ratione habitus absolute querens in art. 5. utrum hæc scientia fuerit habitualis: deinde de unitate, aut pluralitate habitus inquirat in art. 6. querens utrum fuerit hæc scientia distincta per diuersos habitus.

ARTICVLVS I.

Utrum secundum scientiam inditam, vel infusam Christus omnia sciat.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod secundum hanc scientiam Christus non cognouerit omnia. Hæc enim scientia indita est Christo ad perfectionem possibilis intellectus eius. Sed intellectus possibilis anime humane non videtur esse in potentia ad omnia simpliciter, sed ad illa sola, in qua potest reduci in actum per intellectum agentem, qui est proprium actuum ipsius, quæ quidem sunt cognoscibilia secundum rationem naturalem. Ergo secundum hanc scientiam non cognouit Christus ea, quæ naturalem rationem excedunt.

Præterea: Phantasmata se habent ad intellectum humanum, sicut colores ad visum: ut dicitur tertio de anima. Sed non pertinet ad perfectionem visus potentia cognoscere ea, quæ sunt omnino absque colore. Ergo neque ad perfectionem intellectus humani pertinet cognoscere ea, quorum non possunt esse phantasmata, sicut sunt substantia separata. Sic ergo, cum huiusmodi scientia fuerit in Christo ad perfectionem anime intellectiue ipsius, videtur, Naz. in D. Thom. 3. partem.

A quod per huiusmodi scientiam non cognouerit substantias separatas.

Præterea: Ad perfectionem intellectus non pertinet cognoscere singularia. Videtur ergo, quod per huiusmodi scientiam anima Christi singularia non cognouerit.

Sed contra est, quod dicitur Isa. 11. quod repleuit eum Spiritus sapientia, & intellectus, scientia, & consilij. Sub quibus comprehenduntur omnia cognoscibilia: nam ad sapientiam pertinet cognitio omnium diuinorum: ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium: ad scientiam autem pertinet cognitio omnium conlusionum: ad consilium autem cognitio omnium agibilium. Ergo videtur, quod Christus secundum scientiam inditam sibi per Spiritum sanctum habuerit omnium cognitionem.

Respondeo dicendum, quod sicut prius dictum est, conueniens fuit, ut anima Christi omnino esset perfecta per hoc, quod omnis eius potentia sit reducta ad actum. Est autem considerandum, quod in anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva. Una quidem per comparationem ad agens naturale. Alia vero per comparationem ad agens primum: quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altioris actus, in quem reducit per agens naturale: & hæc consuevit vocari potentia obedientie in creatura. Vtræque autem potentia anime Christi fuit reducta in actum, secundum hanc scientiam diuinitus inditam. Et ideo secundum eam anima Christi primo quidem cognouit, quæcunque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis: sicut sunt, quæcunque pertinent ad scientias humanas. Secundo vero per hanc scientiam cognouit Christus omnia illa, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt: siue pertineant ad donum sapientia, siue ad donum prophetia, siue ad quodcunque donum Spiritus sancti. Omnia enim ista abundantius, & plenius ceteris cognouit anima Christi. Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit, sed solum per primam, de qua supra dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de potentia naturali anime intellectiue, quæ scilicet est per comparationem ad agens naturale, quod est intellectus agens.

Ad secundum dicendum, quod humana anima in statu huius vite, quo quodammodo est ad corpus obligata, ut sine phantasmate intelligere non possit, non potest intelligere substantias separatas. Sed post statum huius vite, anima separata poterit aequaliter substantias separatas seipsius cognoscere: ut in prima parte dictum est. Et hoc præcipue manifestum est, circa animas Beatorum. Christus autem ante passionem non solum fuit viator sed etiam comprehensor: unde anima eius poterat cognoscere substantias separatas per modum, quo cognoscit anima separata.

Ad tertium dicendum, quod cognitio singularium non pertinet ad perfectionem anime intellectiue secundum cognitionem speculatiuam. Pertinet tamen ad perfectionem eius secundum cognitionem practicam, quæ non pericitur absque cognitione singularium, in quibus est operatio: ut dicitur in sexto Ethic. Unde ad prudentiam requiruntur memoria præteritorum, cognitio presentium, & prouidentia futurorum: ut Tullius dicit in sua Rhetorica. Quia igitur Christus habuit plenitudinem prudentie secundum donum consilij, consequens est, quod cognouerit omnia singularia presentia, præterita, & futura.

Sensus quaesiti.

VOx illa omnia duplex complectitur genus cognoscibilium, scilicet per naturale lumen intellectus agentis, & per lumen diuinæ reuelationis, ut explicat S. D. in corpore.

O o

Forma

Forma Textus.

PRIMA CONCL. Anima Christi secundum hanc scientiam cognouit omnia, quæ cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis: sicut sunt quæcunque pertinent ad scientias humanas, & omnia illa quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientia, siue prophetia, siue ad quodcunque donum Spiritus S. Probat: quoniam in anima Christi consideratur duplex potentia passiva: Vna quidem per comparisonem ad agens naturale: alia vero per comparisonem ad agens primum, quod potest creaturam reducere in actum altiore actu, in quem reducitur per agens naturale: quæ consuevit vocari potentia obediens: & utraque potentia animæ Christi fuit reducta in actum per hanc scientiam diuinitus inditam: ergo secundum hanc scientiam cognouit omnia, quæ cognosci possunt &c. Antecedens quo ad primam partem probatur: quia in qualibet creatura consideratur prædicta duplex potentia passiva: ergo etiam in anima Christi: Quo ad secundam vero partem asserentem utramque potentiam animæ Christi fuisse reductam in actum, probatur ex dictis supra *quest. 9. art. 1.* quia scilicet conueniens fuit, ut anima Christi omnino esset perfecta per hoc, quod omnis eius potentialitas sit reducta ad actum: ergo utraque prædicta potentia animæ Christi fuit reducta ad actum.

SECUNDA CONCL. Anima Christi per hanc scientiam non cognouit ipsam Dei essentiam, sed solum per primam scil. scientiam visionis. Hæc relinquitur ut nota ex differentia utriusque scientiæ, & excessu scientiæ visionis super hanc scientiam.

Expositio Textus.

In huius artic. expositione Caiet. & post eum Medina varias proponit difficultates ac breuiter definit: quas recentiores pluribus aliis additis ad explicationem primæ conclusionis latissime versant. Nos circa singulas summa breuitate sententiam nostram proferemus. Est igitur

Controuersia Vnica.

De obiecto scientiæ infusæ animæ Christi, in quinque questionibus diuisa.

PRIMA QUESTIO. An Christus per scientiam inditam cognoscat omnia, quæ ab humano vel Angelico intellectu naturaliter sciri possunt: Omnis Scoti, Dur. & aliorum antiquorum ac recentiorum quorundam opinionibus, quas referunt hic Caiet. Suar. Vasq. & Aluar. qui etiam in quibusdam dissentiant.

Sciendum est primo ex D. Th. 1. p. q. 1. a. 3. in corpore, & ad 2. unitatem potentiæ & habitus esse considerandam secundum rationem formalem obiecti: & ideo fieri posse, ut inferiores potentiæ vel habitus diuersificentur circa illas materias, quæ communiter cadunt sub vna potentia vel habitu superiori, eo quod superior potetia vel habitus fertur in obiectum sub vniuersaliori ratione formali: ut patet in obiecto sensus communis, quod est sensibile comprehendens sub se visibile & audibile &c. quo fit ut illa vna potentia realiter & formaliter, quæ est sensus communis, extendat se ad omnia obiecta quinque sensuum exteriorum: & ob eandem causam scientia Sacræ Theologiæ ea omnia sub vna ratione considerat, quæ ad diuersas attinent scientias philosophicas. Sic igitur in proposito, quia scientia animæ Christi infusa altioris ordinis est, quam scientia quælibet naturalis & quam omnis alia cognitio supernaturalis di-

uina reuelatione ad homines deriuata, ideo sub vna simplici ratione formali ad omnia cuiuslibet scientiæ naturalis & reuelatæ cognitionis obiecta terminatur: Virtus enim superioris ordinis & vniuersalior nobiliori modo extenditur ad ea, quæ sub inferioris ordinis & minus vniuersali virtute continentur.

Secundo considerandum est, scientiam infusam animæ Christi dici posse quadam ratione supernaturali, & quadam alia ratione naturalem: Nam si consideretur in ordine ad animam Christi absolute sumptam scientia supernaturalis est, cum ad hanc non habeat anima Christi secundum se consideratam potentiam naturalem, sed obedientialem tantum: si vero consideretur eadem anima Christi, prout est hypostatice coniuncta personæ Verbi, atque adeo prout illi quasi naturaliter conuenit uterque status, scilicet viatoris & comprehensoris, scientia hæc dici potest illi quodammodo naturalis: sic enim est in anima Christi non solum ad naturalium, sed etiam ad supernaturalium cognitionem potentia naturalis. Sicut supra *qu. 3. art. 12.* de gratia habituali dictum est: quod etiam hic aduertit Cai. & alij recentiores.

Tertio Notandum est species infusæ animæ Christi similes esse speciebus Angelorum, & illis etiam esse excellentiores: Cum igitur species Angelorum intellectibus inditæ non communes tantum naturas genericas aut specificas, sed etiam vniuersa sub eis existentia singularia representent, ut patet ex 1. p. q. 57. a. 2. multo magis hoc speciebus infusis animæ Christi tribuendum est, ut hic etiam notat & explicat Cai. circa *resp. ad 3. argum. D. Tho.* dicens species angelicas, ac proinde etiam species infusæ animæ Christi representare semper eodē modo ex parte ipsius speciei representantis, siue res existant siue non existant, non tamen eodem modo semper representare ex parte rerum representatarum: nam existente Leone representatur ut existens: si vero non existat, non representatur ut existens &c. vide Cai. & ea quæ diximus 1. p. in allegata q. 57. a. 2.

Cum igitur species infusæ animæ Christi fuerint à Deo immediate causatæ & exemplatæ à Diuina essentia, quæ distincte singularia representat, & scientia infusa animæ Christi fuerit longe perfectior scientia Angelorum, ut probatur infra *art. 4.* & habuerint species illæ omnem perfectionem fini Incarnationis congruentem & possibilem eis communicari, dicendum est animam Christi per species illas, & scientiam inditam vniuersa cognouisse, quæ ab humano vel Angelico intellectu sciri possunt.

QUESTIO SECUNDA. An per scientiam hanc animæ Christi continue, aut aliquando simul omnia sub ea comprehensa cognouerit. Vasq. disp. 53. c. 2. docet Christum per scientiam hanc ab initio simul actum cognouisse omnia futura in infinitum per proprium & quidditatum conceptum dicens hac sola ratione defendi posse Christum in hac scientia non profecisse, & nullam in eo fuisse ignorantiam, non tamen fuisse aut esse continuo in actuali omnium consideratione, licet aliquando ad actualement omnium considerationem se reducat.

Sed oppositam sententiam habet S. D. infra *art. 5.* quam explicat ibi Caietanus & latius Suar. disp. 28. sect. 1. Aluar. disp. 57. tertiam hanc statuit concl. Per scientiam infusam non cognoscit anima Christi actu simul omnia entia, quæ sub ea cadunt, sed habitualiter & successiue: ita ut quoties voluerit, possit per tali scientia ad quam unque rem cognoscendam. Fundamentum eius est: quia cognitio scientiæ inditæ animæ Christi non mensuratur æternitate, nec potest humanus aut Angelicus intelle-

Dua reseruntur opuscula sententia, & utrague sufficit, ut probabile.

rellektus per plures species simul intelligere, vt A
probat S.D. 1. p. q. 58. a. 2. & q. 85. a. 4.

Ego vtraque sententiam arbitror esse probabilem: Prior enim consonat perfectioni scientiæ Christi: posterior autem naturæ & ordini rerum videtur esse consonantior: Qui priorem elegerit, dicat lumen supernaturale inditum animæ Christi ob sui maximam excellentiam virtutem quandam superexcellentem intellectui contulisse, vt eo lumine speciebus illis omnibus influxis simul illustratis posset ad vnam vel plures ad modum vnius operationes eliciendas: quæ scilicet ad vnum scientiæ illius obiectum secundum totam eius latitudinem sub vna ratione formali comprehendam terminarentur, eo fere modo quo potest Angelus per plures species plures simul actus elicere, vt explicauimus *prima parte*, q. 58. a. 2. Cui vero posterior opinio magis ariserit, dicat fieri minime posse per Dei potentiam ordinariam, vt intellectus creatus per lumen finitum quantumuis excellens per plures species non subordinatas in representando simul actu & distincte cognoscat omnia etiam infinita per eas representata: quod tamen satis durum videtur: cum nulla appareat absurditas, sine qua nihil est diuinæ potentiae aut sapientiæ & voluntati in anima Christi perficienda denegandum. Ad rationem autem Vsq. dicat ex hac opinione non sequi Christum in hac scientia profecisse, aut ignorantiam aliquam habuisse; eo quod integram & perfectam rerum omnium habitualement per scientiam hanc habuerit cognitionem, dicitur autem aliquis tunc solum in scientia proficere, quando prius non habitam rei notitiam acquirat habitualement, & similiter ignorantia non actualis, sed habitualis cognitionis priuationem importat. Nec verum est quod ait Valqu. nempe nomine scientiæ habitualis intelligi solū actum præteritum, cuius maneat memoria, non autem habitum aliquē infusum vel acquisitum. Postremo dicat dictam scientiam potuisse prohibito voluntatis Christi ad actum reduci secundum exigentiam negotiorum & temporis modo circa vnum, modo circa aliud obiectum: vt ait S.D. infra q. 5. ad 2. ex quo infert scientiam hanc in Christo non fuisse frustra. His adde Christum per quālibet speciem potuisse simul actu cognoscere infinita: & cum earum specierum numerus esset finitus, probabile esse Christum singulis luce siue vsu fuisse ad omnia per singulas representata cognoscenda: atque ideo nullam in Christo cognitionē habitualement frustra fuisse. Huic doctrinæ consonant ea, quæ scribit Caiet. infra art. 5. & Suar. disp. 28. sect. 1. Vide etiam Cai. infra q. 34. a. 2. & Ferrar. in *secundo cont. gent. cap. 97.* & ea quæ diximus infra art. 5.

Quæstio Tertia. An Christus per scientiam infusam certo cognouerit cogitationes cordium, & actus omnes liberos internos & externos. Sancti D. in 3. dist. 14. cum duplici q. 1. a. 3. quæstione. 1. docet animam Christi hoc genere cognitionis non cognouisse ipsam essentiam, increatam, nec alia omnia quæ ad perfectionem intellectus partis non pertinent, neque secundum naturam neque secundum gratiam: sicut sunt gesta particularium hominum & huiusmodi: quæ tamen omnia (inquit) cognouit in Verbo: & de Ver. q. 20. a. 6. sic loquitur: *Ista scientia rerum in proprio genere ponitur in anima Christi, vt nulla naturalium perfectionum ei deesse inueniatur, & ideo tantum per hanc scientiam scuit, quantum naturalis anime cognitio se extendere potest, non solum in hac vita, sed etiam post mortem, eo quod Christus simul fuit secundum animam viator, & comprehensor: sed quædam sunt, ad quæ naturalis cognitio nullo modo se extendere potest: sicut est i-*

Naz. in D. Thom. 3. partem.

psa diuina essentia, futura contingentia, cogitationes cordium, & alia huiusmodi: & horum anima Christi non habuit scientiam per modum istum, sed cognouit ea in Verbo, &c. Cui sententiæ satis aperte videtur esse contraria conclusio prima præsentis articuli. Hanc tamen loquendi diuersitatem nititur conciliare Bergomas *dub. 1217.* duobus modis: primus est S. Thom. hic loqui de cognitione practica, in alijs autem locis de cognitione speculatiua: Secundus modus est D. Thom. in *tertio* loqui de Christo, & scientia eius infusa simpliciter & secundum se, hic autem loqui de Christo vt est caput Ecclesiæ & pastor omnium.

Sed neuter conciliandi modus satisfacit. Primus enim supponit singularium cognitionē speculatiuam ad intellectus & scientiæ perfectionem minime pertinere: quæ suppositio simpliciter falsa est. Nam de ratione scientiæ, vt scientia est, non est vt ad vniuersalia & ad ea, quæ secundum se necessaria sunt, terminetur: sed cum nomen scientiæ sit analogum ad plures scientiæ modos, scilicet Diuinum, Beatificum, Angelicum, Humanum & eum qui per infusionem cōuenit animæ Christi, secundum perfectiores suos modos extenditur ad indiuidua: vt patet in tribus prioribus modis scilicet in scientia Dei, quæ singularia omnia tam naturalia quam libera, tam necessaria quam contingentia, tam præsentia quæ præterita & futura cognoscit: vt probat S. Doct. in p. p. q. 14. art. 11, 12. & 13. Beatos etiam in essentia Dei videre singularia patet ex supra dictis, & ex ijs quæ post alios scripsimus *ad primam partem* q. 12. art. 8. De Angelis autem quo ad eorum scientiam naturalem id probat S. D. in *eodem libro*, quæst. 57. art. 2. & alibi sæpe. Quod autem singularia contingentem futura per scientiam siue per scientias aliquas proprie dictas cognosci possint: Probatur primo: quia futura contingentia, & ea quæ sunt libera, causas habent suæ futuritionis certas & infallibiles, ipsam scilicet Dei scientiam, voluntatem & prouidentiam: vt ait S. D. in p. p. q. 14. art. 13. ad 1. & q. 19. art. 8. & q. 22. art. 4. per quas causas non solum à Deo, sed etiam à beatis sciri certo possunt: vident enim quilibet eorum multa futura libera & contingentia in essentia diuina, prout in ea manifestatur determinatio diuinæ voluntatis, quæ est causa infallibilis omnium futurorum: ad rationem autem scientiæ sufficit, vt quod sciri dicitur per causam infallibilem cognoscatur. Vnde etiam in nostra Theologia, quæ beatorum scientiæ subalternatur, multæ veritates singulares & secundum se contingentes sunt principia à nobis fide credita, sed in Theologia beatorum euidentia: Vt patet de mysteriis incarnationis, passionis, mortis & resurrectionis Filij Dei & alijs similibus. Per scientias vero nostras naturales nulla sciri possunt singularia, & ea præsertim quæ sunt futura libera aut contingentia: Cuius ratio est duplex. Prima: quia omnis scientia nostra naturalis suas conclusiones deducit ex quidditate subiecti tanquam ex propria & necessaria causa: nullius autem essentia subiecti potest esse totalis & necessaria causa singularium quo ad actuales eorum existentias & condiciones indiuiduantes & circumstantias temporum, locorum &c. Secunda ratio est, quam affert S. D. de Ver. q. 2. a. 5. & in primo contragent. c. 65. dicens similitudinem rei scibilis, quæ est in intellectu nostro, esse acceptam à re materiali, quæ sic agit in intellectum, vt prius agit in sensum: materia autem (inquit) quia est ens tantum in potentia, non potest esse principium agendi: & ideo res, quæ agit in animam nostram, agit solum per formam: Vnde similitudo rei,

O o 2 quæ

Bergomas
conciliatio
reijcitur.

Referuntur
duo contra
rii modi di
cendi S. Th.
cum duplici
q. 1. a. 3. quæ
stione. 1. docet
animam Christi
hoc genere
cognitionis
non cognouisse
ipsam essentiam,
increatam, &
alios omnia
quæ ad perfectionem
intellectus
partis non
pertinent, neque
secundum
naturam neque
secundum gratiam:
sicut sunt
gesta particularium
hominum &
huiusmodi: quæ
tamen omnia
(inquit) cognouit
in Verbo: & de
Ver. q. 20. a. 6.
sic loquitur: *Ista
scientia rerum in
proprio genere
ponitur in anima
Christi, vt nulla
naturalium
perfectionum ei
desse inueniatur,
& ideo tantum
per hanc scientiam
scuit, quantum
naturalis anime
cognitio se
extendere potest,
non solum in hac
vita, sed etiam
post mortem, eo
quod Christus
simul fuit
secundum animam
viator, & comprehensor:
sed quædam sunt,
ad quæ naturalis
cognitio nullo modo
se extendere potest:
sicut est i-*

qua imprimatur in sensum, & per quosdam gradus depu-
rata vsque ad intellectum pertingit, est tantum similitudo
forma, & paucis interpositis addit: Et quia ad hoc,
quod aliquid cognoscatur, requiritur, quod similitudo eius
sit in cognoscente, non autem, quod sit per modum, quo est
in re, inde est, quod intellectus noster non cognoscit singu-
laria, quorum cognitio ex materia dependet: quia non est
in eo similitudo materia. Sed quia singularia cognos-
cuntur indirecte ab intellectu nostro eo modo,
quo alibi declarauimus, quatenus scilicet vnum
sunt intellectus & cogitatio in ratione mouen-
tis & moti, ac propterea actus cogitatio, quo
singularia cognoscit, tribuitur intellectui: ideo
nostra Theologia, quę scientia supernaturalis est,
se multis agit veritatibus singularibus secundum
se quidem contingentibus, sed in ordine ad diui-
nam voluntatem & prouidentiam necessariis ne-
cessitate suppositionis & infallibilitatis: vt expli-
cauimus supra quest. 1. contr. 1. §. Iam vero. Nec pla-
cet quod alij dicunt, videlicet infundi Theolo-
go species supernaturales singularia representan-
tes, aut species naturaliter acquisite addito lu-
mine supernaturali vigorari, vt etiam singularia
representent, vel vt ex noua earum ordinatione
fiat representatio singularium. Primum enim vo-
luntarie dicitur nec vllum habet legitimum fun-
damentum ex scri- turis aut patribus, ac præfer-
tim ex doctrina D. Thom. Nec aliquid est scitum
in nostra Theologia aut in eius principiis, cui re-
presentatio non sufficiant species naturaliter ac-
quisitę cum lumine supernaturali. Secundum
autem falsum esse probatur ex eo, quod lumē su-
pernaturale additum speciei non mutat naturam
speciei, quę tota consistit in representando, sed
eam perficit iuxta modum ipsius, vt scilicet spe-
ciem vniuersaliter representantem eleuet ad or-
dinem supernaturalem, & simul cum aliis specie-
bus supernaturalia representet: vt patet de specie
hominis, cui addito lumine supernaturali, & spe-
ciebus diuinę potentię resurrectionis, immorta-
litis & beatitudinis additur etiam representatio
rei & veritatis supernaturalis asserentis hominem
diuinā potentia resurrectorum ad vitam beatam
& immortalem: species autem, quę cum vniuer-
sali natura singularia naturaliter representant,
quales sunt species Angelorum, ad ea nouo & al-
tiori modo representanda virtute luminis su-
pernaturalis eleuantur: Et ex hoc etiam tertium
confutatur: nam species, quę ex sui natura solum
in vniuersali representant, quomodocunque or-
dinentur, nunquam representandi naturam im-
mutabunt: ac proinde nunquam in eis poterunt
singularia relucere. Cum itaque species per se in-
fusę animę Christi sint nobiliores speciebus An-
gelorum, & altiori etiam lumine illustrentur, po-
terunt multo magis quam species Angelorum sin-
gularia representare.

Secundus etiam modus conciliandi, quo vtitur
prædictus author, falsus est: quia sicut Christus ex
vi scientię per se infusę non cognoscit futura cō-
tingentia & cogitationes cordium, ita neque hæc
cognoscit ex vi scientię beatę vt sic, sed quatenus
hęc in Christo est vt in capite, iudice & pastore
vniuersalis Ecclesię: at Christus dicitur absolute
hęc per scientiam visionis cognouisse: igitur hæc
etiam absolute cognouisse dicendus est per scien-
tiam inditam.

DICAMVS igitur cum Cai. & aliis D. S. hic a
priori sententia recessisse, & meliorem ac digni-
tati Christi magis congruentem elegisse. Hanc
autem esse meliorem probatur quo ad eam par-
tem, de qua modo quæstio est, videlicet quo
ad cogitationes cordium: quia Matthæi 9. Marcii 2.

& 8. & Luc. 5. dicitur Christum cognouisse co-
gitationes hominum, & singulariter Marcii 2. dici-
tur Christus cognouisse spiritu suo cogitationes
scribarum: spiritus enim, idest anima, Christo
conuenit quatenus homo est: igitur per animam,
scientia nimirum infusa perfectam, vidit Chri-
stus scribarum cogitationes. Scio multos ex S.
Patribus affirmare ex his locis efficax argumen-
tum deduci ad Christi diuinitatem comprobā-
dam: ita Chrylost. Hom. 30. in Matth. Hieronym.
in Matth. cap. 9. Cyril. lib. 2. in Ioan. c. 37. qui mul-
ta diuinę scripturę testimonia proferunt ad o-
stendendum Christum suam diuinitatem mani-
festasse, quia cordium videbat cogitationes: his
adde Bedam in Matth. c. 10. super illud. Quis potest
dimittere peccata, nisi solus Deus: ex quo videtur ma-
nifeste sequi Christum per nullam creatam scien-
tiam aut cognitionem cordium cogitationes co-
gnouisse: nam si per infusam à Deo scientiam eas
cognouit, eandem potuisset habere cognitionem
etiam si non fuisset Deus: sed facile soluitur hæc ob-
iectio dicendo scientiam infusam, qua cogitatio-
nes omnes & omnia futura cognoscuntur, soli
Christo Deo & homini propriam esse, illique
conuenire vt dispositionem exornantem vni-
onem hypostaticam, & ex ea profluere, sicut supra
de gratia habituali dictum est: & ideo ex hac co-
gnitione, tanquam ex proprietate soli Deo & ho-
mini conueniente bene & efficaciter ostendunt
patres Christum vere fuisse Deum. Qui tanquam
Deus naturaliter, & tanquam homo per scien-
tiam inditam ex vniōe hypostatica dimanantem
videret omnes cogitationes, ex quibus ali-
quas nonnunquam Deus quibusdam lumine pro-
phético reuelauit, vt patet de Eliseo & aliis. Se-
cundo probatur eadem pars: quia Christus in-
quantum homo, est iudex omnium hominum
quo ad eorum actiones internas & externas: vt
probat S. D. infra q. 59. art. 2. & habetur expresse
Ioan. 5. vbi dicitur: Potestatem dedit ei iudicium facere:
quia filius hominis est: igitur ad eum quatenus ho-
mo est, pertinet cognoscere cordium cogitatio-
nes bonas & malas, vt illis debita præmia, his ve-
ro condigna supplicia decernat. Tercio proba-
tur ratione D. Tho. superius explicata: cuius vim
aperit Caiet. & alij expostores. Alias probatio-
nes lege, si placet, apud recentiores.

QUÆSTIO QUARTA. An, & quomodo Christus
per scientiam inditam certo, & infallibiliter cognouerit
futura contingentia, præsertim libera? Tres sunt de
proposita dubitatione sententię. Prima est S. Th.
locis supra notatis: qui negat animam Christi per
scientiam infusam cognoscere futura contingentia,
& ait hæc ab ea cognosci visione beata. Secun-
da est quorundam Theologorum asserentiū hæc
ab anima Christi cognosci per donum prophe-
tię: Tertia est S. Th. hic & omnium discipulorum
eius ac expostorū dicentium futura contingentia
ab anima Christi cognosci per scientiā inditam:
sed in explicando cognitionis modo dissentient.

Nam Medina duo dicit: Primum est, animam
Christi per species infusas cognoscere futura cō-
tingentia non in seipsis, neque in causis suis, sed
medio modo scil. per reuelationem Dei. Secun-
dum est, hanc scientiam non esse intuitiuam.

Ban. 1. p. q. 57. a. 2. dub. 3. tria dicit: Primum est,
species infusas animę Christi non representare
liberam determinationem diuinę voluntatis ad
producendum futura contingentia: quia id per
nullam speciem creatam præstari potest. Secundum
est, species animę Christi representare quiddi-
tatem futurorum contingentium antequam exis-
tant, non tamen actualem durationem existen-
tię

Approba-
tur senten-
tia Cai. &
aliorum d-
centium cū
D. Th. Chri-
sti per hanc

tiæ futuræ: *Tertium* est actualiter hanc durationem A cognosci ab anima Christi per euidentiā in Deo attestante.

Suar. *disp. 27. sect. 2.* tria dicit: *Primum* est futura contingentiā, præsertim libera, nō posse cognosci in determinatione diuinæ voluntatis: *Secundū* est probabiliter dici posse hæc futura posse ab anima Christi cognosci intuitiue per quādam participationem scientiæ Dei, quā cognoscit non solum quid factura sit creata voluntas posita in talibus circumstantiis &c. Sed etiam quid actu faciat: quia (inquit) rem hanc esse futuram est quādam veritas, omnis autem veritas de se est cognoscibilis ab eo, qui sufficienter habet vim cognoscendi. Cum autem ex parte Dei ad horum futurorum cognitionem duo concurrant, scilicet essentia ipsa diuina ut species representans hæc futura quo ad omnes eorum condiciones, & lumen quo indicat de re cognita intuitiue, puta voluntate creata, non solum quid possit, sed etiam quid factura sit, utrunque communicabile est intellectui creato: quia dare potest illi Deus species quæ ad quandam imitationem essentia diuinæ representent res futuras quo ad omnes earum condiciones, & infundere lumen supernaturale quo vim habeat participatam ad iudicandum, non solum quid possit sed etiam quid factura sit creata voluntas: quā cognitionem ait esse proprie intuitiuam: quia attingit rem ipsam futuram secundū omnes condiciones existentia tam distincte & perspicue, ac si esset realiter existens: quod est habere illam obiectiue præsentem. *Tertium* est, probabilius esse per hanc scientiam cognosci futura contingentiā solum abstractiue per medium, quod est diuina reuelatio includens diuinam auctoritatem & testificationem euidenter per lumen huius scientia manifestatam.

Alii autem recentiores viri doctissimi docent Christum per hanc scientiam intuitiue cognouisse omnia futura contingentiā, ut in seipsis præsentia & coexistentia cognitioni istius scientia, quā cognoscebantur.

Denique Caiet. hic ad secundum dubium in fine dicit animam Christi per species infusas intuitiue & perfecte videre præsentia & futura, quā opinionem sequitur Aluarez *disputatio. 60.*

Aduertendum est primo dupliciter intelligi posse futura contingentiā in seipsis cognosci. *Primo*, ut cognosci in seipsis idem sit, quod non cognosci in alio vel in aliis, puta in causis aut in effectibus vel in dicentis attestatiōe, sed secundum proprium esse, quod illi conuenit in rerum natura: & hoc modo quilibet res distincte secundum eius essentiam vel etiam secundum eius existentiam cognita, dicitur in seipsa cognosci, etiam si cognoscanti sit præsens obiectiue tantum, & abstractiua cognitione cognoscatur: *Secundo* potest intelligi futura contingentiā in seipsis cognosci nō ea ratione tantum, quod non in alio, sed secundum esse proprium cognoscantur, verum etiam quia cognoscuntur ut actu præsentia secundum propriam existentiam, vel ut coexistentia cognitioni in eadem mensura durationis, etiam si non existant, aut coexistent in mensura propria: & hoc modo Deus & beati futura contingentiā cognoscunt in seipsis, quia cognoscunt ea ut coexistentia cognitioni in mensura æternitatis, ut in prima parte, q. 14. dictum est.

Ex hac distinctione sequitur alia distinctio, nimirum duplicem esse aut dupliciter dici posse cognitionem intuitiuam: *Vno modo*: quia terminatur ad rem secundum eius proprium esse, quod

Naz. in D. Thom. 3. partem.

habet vel habuit aut habitura est in rerum natura, etiam si cognoscens siue cognitioni non coexistat in mensura cognitionis, sed sit illi præsens tantum in esse obiectiui: & hic est improprius modus intuitiue cognitionis. *Alio modo*, quia terminatur ad rem secundum eius proprium esse, & habet actu in rerum natura, & est præsens cognoscanti secundum propriam cognitionis eius mensuram, & hæc proprie dicitur intuitiua cognitio: ut patet ex August. *lib. 11. confess. cap. 17. & 18.* vbi de cognitione intuitiua loquitur, prout etiam extenditur ad supernaturalem: & est expressa sententia S. Thom. *1. p. q. 14. a. 9.* vbi statuit differentiam inter scientiam visionis & scientiam simplicis intelligentia: quā ibidem explicat Caiet. idem docet magis aperte Capreol. in 4. *dist. 10. q. 4. ad 1. contra tertiam conclus.*

Secundo sciendum est, fieri non posse per Dei potentiam absolutam, ut homini vel Angelo communicetur extra Verbum cognitio intuitiua futurorum in seipsis, ut etiam aduertit Ban. *1. p. q. 14. a. 13. & sequitur concl. 4.* Ad cuius euidentiā recollenda sunt, quæ diximus in p. q. 10. a. 5. *contro. 1. & 2.* ex quibus duo præcipua sunt. *Primum* est ex differentiis per se mutabilitatis aut immutabilitatis ab intrinseco desumi differentias per se durationis: ex quo sequitur, ut inter durationes esse rei mensurantes prima sit æternitas essentialis, quæ est ipsum esse diuinum ut maxime immutabile & vniforme, &c. secunda sit æternitas participata, quæ est nobilissima visionis creatæ, quæ videtur ab anima Christi essentia Dei: tertia sit æuum, quod est esse substantiale maxime immutabile & vniforme: quale est esse animæ Christi, ut ostendimus p. q. 10. ar. 6. quarta sit tempus Angelorum discretum: quinta tempus eorum continuū: sexta & vltima tempus nostrum: ut patet ex ijs, quæ diximus in allegata q. 10. *Secundum* autem est differentia inter æternitatem essentialem, æternitatem participatam, æuum & instant tempus discreti. Nam æternitas essentialis ab æterno simul actu coexistit omnibus differentiis seu partibus temporis tam realis quam imaginarij, quia continet eminenter totam temporis latitudinem tam realem quam possibilem: sed æternitas participata non ab æterno, sed ex tempore coexistit omnibus partibus temporis realis tantum nō autem imaginarij. Non enim ab æterno est, nec totam continet eminenter temporis latitudinem realem & possibilem: alioquin esset infinita simpliciter, sicut æternitas essentialis: sed eam tamen habet inditam excellentiam, ut in supremo sit omnium creatarum & creabilium durationum ordine constituta: atque ideo partibus omnib. temporis realis simul actu coexistat: in hoc enim sola inter omnes creatas & creabiles durationes proxime accedit ad æternitatem essentialem, ut eius quasi vniuoca participatio: sicut etiam maxime participat eius immutabilitatem: ut patet ex causis visionis beatificæ, quæ sunt intellectus, lumen gloriæ & essentia diuina, ut forma est intelligibilis: quæ omnes ab intrinseco sunt immutabiles: *Æuum* autem totum quidem simul est & partibus omnibus temporis coexistit, non tamen simul sed successiue, ut loco supra notato declarauimus. Cum enim esse supremi æterni, quatenus æuum est, ad beatæ visionis immutabilitatem nō attingat, in inferiori constituitur ordine durationum, & ab ea, quæ propria est æternitas excellentia, deficit, secundū quam æternitatis etiam participata toti simul coexistit temporis durationi. Quod idē multo magis dicendum est de instanti temporis Angelorum discreti, quod non omni tempore nostro sed parti

Non posse per Dei potentiam absolutam homini vel Angelo communicari extra Verbum cognitionem proprie intuitiuam futurorum in seipsis, licet communicari possit quādam excellentiā notitiæ intuitiua minus proprie dicta. Durationis differentia.

Æternitas essentialis.

Æternitas participata.

Æuum.

Instanti Angelicum.

Resolutio. Cognosci a seipso dupliciter.

Cognitio intuitiua duplex.

tantum, nō simul sed successiue coexistit: quia licet operatio primi æterni, quæ est ipsum æuum, sit tota simul, est tamen ab intrinseco defectibilis: & ideo inferior æuo est.

Ex his sequitur primo fieri non posse à Deo cognitionem supernaturalem extra Verbum, quæ mensuretur vno instanti indiuisibili coexistente simul actui temporis plurium annorum, dierum vel horarum: talis enim operatio defectibilis esset ab intrinseco, ac proinde ad immutabilitatem & nobilitatem æui non attingeret, & multo minus ad excellentiam æternitatis ascenderet, cui proprium est pluribus simul temporis partibus coexistere ob summam mensuratæ durationis immutabilitatem & sui maximam vniformitatem.

Secundo sequitur, solam illam esse proprie cognitionem intuitiuam, quæ ad obiectum, vt actui præsens secundum actuaalem & exercitam eius existentiam, terminatur: ac proinde si Deus sua omnipotentia produceret in intellectu speciem intelligibilem adeo perfectam, vt rem futuram cum sua existentia & omnib. accidentibus repræsentaret, ac si obiectum illud esset præsens cognoscendi secundum realem existentiam, & moueret per se ipsum potentiam ad formandū notitiam sui, suppleret quidem claritatem & perfectionem intuitiue cognitionis, quatenus cognitio est, nō tamen suppleret illius modum, secundum quem in esse intuitiue notitiæ constituitur & ab abstractiua distinguitur.

Conciliatur opinio-
nes.

Tertio sequitur conciliari facile posse duas oppositas opiniones, sc. eam quæ asserit, & eam quæ negat cognitionem animæ Christi per species inditas respectu futurorum contingentium & præteritorum fuisse intuitiuam: Caiet. autem videtur cognitionem hanc appellasse intuitiuam, quia quando res actu fuerint existētes vere tunc est intuitiua, ita vt respectu futurorum vt futura sunt, non sit actu sed habitu tantum aut virtute intuitiua: quatenus scilicet eo tempore, quo fieri actu existentia, cognoscuntur eadem scientia & notitia intuitiue: sicut etiam Angeli cognoscunt intuitiue res cum actu sunt præsentēs, ex quibus multas prius eadem specie vel etiam intellectu cognoscebant vt futuras.

Ex conditio-
nib. luminis
prophetici
ostenditur
animæ Chri-
sti dupliciter
cognoscere
futura
omnia con-
tingentia,
& lumen
scientiæ in-
fusa non fu-
isse prophe-
ticum.

Tertio notanda sunt septem conditiones luminis prophætico conuenientes: prima est, vt sit ex diuina reuelatione, & nō per modum habitus, vt probat S. D. 2.2. q. 171. a. 2. & per hanc manifeste distinguitur à scientia: Secunda conditio est, vt nec per se nec vt continuatum cum alio lumine superiori faciat ex natura sua videre principium eorū, quæ prophetantur: vt probat ibidem S. D. & explicat optime Caiet. Tertia est, vt nō faciat eidentiam eorum, quæ prophetantur, quo ad quid aut propter quid, sed tantum quo ad quia est, & quo ad hoc quod est ea esse à Deo reuelata: vt ait S. D. in 3. cont. gent. c. 154 & de Ver. q. 12. a. 3. Caiet. 2.2. q. 171. art. 5. & q. 178. a. 1. Quarta est, vt sit imperfectum ex sua ratione in genere diuinæ reuelationis: vt probat S. D. 2.2. q. 171. a. 4. ad 2. ex illo 2. Cor. 13. siue prophetia euacuabuntur &c. ubi scito imperfectionem hanc & obscuritatem quo ad quid, vel propter quid rerum prophetatarum non repugnare claritati scientiæ beatæ vel infusæ de eisdem obiectis: imperfectio enim hæc & obscuritas se tenet ex parte mediū, & est negatiua tantum: quia scilicet non dicit claritatem: cui negationi non repugnat claritas eiusdem veritatis per aliud medium in eodem subiecto: non autem est priuatiua, neque se tenet ex parte subiecti, sicut obscuritas: quæ ideo repugnat claritati cognitionis eiusdem obiecti: Vnde sicut medium probabile, quod non est ob-

scurum priuatiue sed negatiue tantum, quia scilicet non affert claritatem, admittit in eodem intellectu medium necessarium, quod de eodem obiecto confert claritatem, ita lumen propheti- cum ob eadem causam simul esse potest cum clara de eodem obiecto cognitione. Quinta conditio est, vt rerum cognitionem efficiat sub ratione temporali: vt ait S. D. de Ver. q. 14. a. 8. ad 13. & in 3. dist. 24. quest. 1. art. 1. quest. 1. ad 3. & art. 2. quest. 1. ad 4. Sexta conditio est, vt sit circa ea quæ procul sunt à sensibus hominum secundum sensum, aut secundum locum, aut secundum tempus: vt ait S. D. supra quest. 7. a. 8. Ultima est, vt propheta sit viator conueniens cum illis, quibus annunciat occulta: vt ait idem S. D. in eodem articulo.

Ex his sequitur primo, animam Christi duplici modo futura contingentia, tam naturalia quam libera cognouisse, scilicet per lumen propheti- cum, de quo supra qu. 7. art. 8. & per scientiam inditam, per quam, vt hic ait S. D. Christus cognouit omnia, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donū prophetiæ, siue ad quodcunque donum Spiritus S.

Secundo sequitur lumen, quo Christus per scientiam infusam hæc futura cognouit, non esse lumen propheticum: quia de ratione huius scientiæ tria sunt: Primum est, vt sit habitus; vt probat infra S. D. art. 5. Secundum est, vt continuata cum cognitione suorum principiorum, quæ est per scientiam beatam, dicat propter quid suorum obiectorum desumptum ex determinatione diuinæ voluntatis: Tertium est perfectio maxima luminis & cognitionis huius scientiæ in genere cognitionum supernaturalium extra Verbum, siue in proprio genere: quorum opposita conueniunt luminis prophætico.

PRIMA CONCL. Anima Christi certo & infallibiliter cognouit futura contingentia, tam naturalia, quam libera, prout sunt in seipsis, siue in proprio genere. Hæc conclusio est S. D. in hoc art. & probatur argumēto supra formato. Alias probationes vide apud Med. in solutione secundæ difficultatis, & Aluar. disput. 59. concl. 1.

Concl. de-
ducta, &
probata.

SECUNDA CONCL. Anima Christi non solum per lumen propheticum, sed etiam per scientiam inditam, & per lumen à prophætico diuersum cognouit omnia futura contingentia: hæc est Sancti Doct. in textu, & patet ex dictis, & probat eam Aluar. in secunda sua concl. & probatur etiam: Quia Sancti Doct. ait Christum per hanc scientiam cognouisse omnia, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ &c. Sed lumen & habitus huius scientiæ est longe altioris ordinis, quam lumen propheticum; ergo lumen huius scientiæ nō pertinet ad lumen propheticum. Probatur secunda propositio: quia lumen propheticum causat rerum cognitionem sub ratione temporali, vt ait S. D. locis supra notatis: huius vero scientiæ cognitio terminatur ad obiecta sub ratione æterna, cum non sit inferior cognitione fidei, quæ sua attingit obiecta sua ratione æterna, vt ait S. D. in eisdem locis nimirum de Ver. q. 14. art. 8. ad 3. & in 3. dist. 24. q. 1. a. 1. quest. 1. ad 3. & a. 2. quest. 1. ad 4. Secundo probatur eadē propositio: quia alioquin hæc scientia nō esset vnus habitus per se & formaliter: probatur sequela: quia per hanc scientiam multa cognoscuntur in proprio genere & per causas necessarias: quæ vero lumine prophætico reuelantur, nota sunt ex testimonio claro dicentis: constat autē habitus distinguī ex luminum diuersitate & ex diuer-

diuersis modis procedendi. Tercio probatur eadem propositio: Quia S. Th. *supra* q. 9. art. 3. & de *veritate*, q. 20. art. 3. & 6. probat cognitionem humanæ scientiæ terminari ad res in propria natura, ac per hoc distinguî à cognitione beata, quæ res videntur in Verbo, & vt sunt in essentia diuina, licet etiam in seipsis secundario videantur. Ex quo patet falsum esse, quod ait Suar. in *allegata disput.* 27. sect. 2. §. *Secundus ergo modus*, vbi docet medium, quod in hac scientia veritatem euidenter ostendit, esse diuinam reuelationem in se includentem diuinam auctoritatem & testificationem euidenter per lumen huius scientiæ manifestatam; ita vt per hanc scientiam Christus non habuerit euidentiam futurorum contingentium in seipsis, seu in propria eorum natura: cuius dicti falsitas patet etiam ex supra notatis, & clarius elucescet ex dicendis.

TERTIA CONCL. *Anima Christi per hanc scientiam cognouit omnia futura contingentia in seipsis, id est in propria natura, atque adeo cognitione intuitiua improprie dicta.* Probatur primo ex locis D. Tho. paulo ante notatis. Secundo probatur omnibus illis argumentis, quibus Aluar. nititur probare sententiam suam; eis enim probatur solum hæc nostra conclusio, vt infra patebit.

QUARTA CONCLVS. *Anima Christi per hanc scientiam non cognouit intuitiue proprie futura contingentia.* Hæc patet ex dictis, & probatur: Quia soli cognitioni, quæ mensuratur æternitate, proprium est videre futura, vt actu sibi in eadem mensura præsentia; At cognitio animæ Christi per scientiam inditam non mensuratur æternitate; ergo.

VLTIMA CONCL. *Anima Christi cognoscit futura contingentia in d. terminatione diuina voluntatis, vt in causa illi reuelata.* Hæc conclusio multa supponit ad æternas & ad temporales, seu physicas prædeterminationes pertinentia, de quibus late disseruimus in *prima parte*, q. 22. art. 4. contra Molin. Suar. Valent. Vasq. & alios extraneos S. D. expositores. Hanc materiam breuiter tangit Aluar. *disput.* 59. in *responsionib.* ad *argum.*

CONTRA *primam conclus.* sunt argumenta, quæ affert & soluit Aluar. *disput.* 59.

CONTRA *secundam conclus.* est argumentum, quod affert & soluit idem author in *dicta Controu. num.* 8. & facile etiam soluitur ex dictis.

CONTRA *tertiã conel.* proferri possent ea omnia argumenta, quæ refert & soluit idem author *disput.* 60. sed illa probant tantum nostram quartam conclusionem.

CONTRA *quartam conclus.* argumentantur quidam recentiores; & primo proferunt diuersa loca S. Thom. in quibus ait Deum quandoque imprimere species & cognitionem mentibus prophetarum, quæ cognoscant futura contingentia, vt præsentia in seipsis. Loca vero sunt in 2.2. *quest.* 95. art. 1. *quest.* 171. art. 6. ad 2. & ad 3. q. 172. art. 1. 3. *cont. gent.* c. 154. ante medium, vltimus est in 4. *dist.* 49. q. 2. art. 5. in corpore, & ad vlt. vbi ait, quod post diem iudicii, vbi sanctorum beatitudo erit consummata, quilibet beatus per specialem reuelationem videbit omnia, quæ Deus scit sciētia visionis: Quod autem loquatur de cognitione intuitiua probat, quia quando futura erunt præsentia in seipsis in sua connaturali mensura, quilibet beatus poterit ea intueri; ergo à die iudicii intuetur illa. Probatur illatio: quia alias eorum perfectio post vltimā consummationem posset crescere, quod negat D. Thom. cresceret enim perfectio cognitionis, si postea intuitiue viderent in seipsis, quæ antea non cognoscebant intuitiue in seipsis. Vnde ex

hoc loco sic arguunt: Prædicta cognitio beatorum est cognitio extra Verbum, & est rerum in proprio genere & in seipsis, & terminatur ad futura in seipsis, antequam existant in sua propria mensura; ergo Deus potest creaturæ communicare cognitionem intuitiuam futurorum in seipsis, antequam existant in sua propria mensura. *Resp.* D. Thom. in omnibus istis locis loqui de cognitione, seu visione intuitiua improprie dicta, quæ terminatur ad res præsentia in esse obiecti uo tantum, alioquin dicendum esset cognitionē prophetica de futuris contingentibus mensurari æternitate participata, vel alia eiusdem ordinis mensura coexistente simul actu pluribus partibus temporis, vtrunque autem apud Theologos ac præsertim Thomistas hæcenus est inauditum, & primum etiam negant recentiores prædicti; Secundum autem esse impossibile supra probauimus. Ad rationem autem, qua probatur S. Thom. in 4. loqui de cognitione intuitiua proprie, quia alias perfectio beatorum posset crescere post diem iudicii, &c. q. negat S. Th. dico S. Th. negare perfectionem cognitionis beatorum extra Verbum posse crescere quoad nouas rerum cognitiones; vt patet ibidem ex *responsione ad 12.* non tamen negat posse crescere quo ad modum cognoscendi ex parte rei cognitæ, quæ de nouo fit existens & præsens cognitioni, & de nouo etiam vt actu præsens & actu existens cognoscitur.

Secundo arguunt, quia Deus potest facere vnam cognitionem supernaturalem extra Verbum mensuratam vno instanti indiuisibili coexistenti mille annis, in quibus futura existent in se; ergo poterit dare cognitionem extra Verbum, quæ sit intuitiua futurorum in seipsis; consequentia patet: Antecedens probatur dupliciter. *Primo:* Quia cognitio angelica mensuratur vnicui instanti indiuisibili temporis discreti coexistenti indiuisibiliter multo tempore futuro; ergo poterit Deus facere cognitionem supernaturalem extra Verbum mensuratam vno eminentiori instanti indiuisibili multo tempore futuro, puta mille annorum, &c. *Secundo:* Quia ex nulla parte implicat Deum tribuere talem durationem cognitioni extra Verbum; ergo; Probatur assumptum: quia habere talem durationem non facit illam participare aliquam proprietatem Dei secundum gradum, quo est incommunicabilis: nam licet tota & integra æternitas sit proprietas Dei imparticipabilis, tamen imperfecta quædam participatio illius est participabilis à creatura, v.g. à visione beata, & alia imperfectior participatio eius communicatur cognitioni prophetica; ergo non implicabit aliam distinctam illius participationem communicari alicui cognitioni supernaturali, quæ sit inferior ad mensuram visionis beatae, & superior ad mensuram cognitionis propheticae. *Respondetur*, falsum esse antecedens, ad *primam* probationem negatur consequentia: quia instans temporis discreti non coexistit actu simul alicui tempore futuro, sed successiue tantum coexistit illis partibus quæ sunt actu præsentia. Ad *secundam* negatur assumptum: Ad eius probationem dico æternitatem quidem esse participabilem secundum eam rationem, qua coexistit actu partibus temporis successiuis, sed à summa & excellentissima tantum creata mensura qua mensuratur duratio beatae visionis, vt ante diximus; quare falsum est mensuram propheticae cognitionis participare æternitatem, qua ratione simul coexistit diuersis partibus temporis; Ex his sequitur non posse dari speciem creatam, neque lumen creatum inferius lumine gloriæ, quæ sint principia talis co-

Suar. di
ctum rei
citur.

Argumen
ta, & sol
utiones.

Obi. cont.
4. concl.

Solut.

Obi. 2.

Solut.

gnitionis intuitiua, quod tamen affirmant prædicti recentiores.

CONTRA *ultimam conclus.* militant omnia argumenta, quibus probare contendunt Molina & alij eiusdem instituti actus liberos non esse à Deo prædefinitos, quibus alibi satis fecimus.

CONTRA *eandem conclus.* est hoc argumentum. Anima Christi per scientiam inditam non cognoscit futura contingentia in seipsis, quia non mensuratur illa cognitio æternitate, neque in suis causis indeterminatis; quia sic non sunt cognoscibilia, ut ait S. D. 1. p. q. 14. art. 13. neque in causis determinatis; quia causa libera determinans se ad producendum aliquem effectum potest impediri; ut patet de causis determinatis ad causandam mortem Ezechie, quæ fuerunt impedire & c. R. sp. animam Christi per scientiam inditam certo cognoscere futura omnia contingentia in se ipsis modo superius explicato, non tamen ea videre intuitiue proprie, & ideo non est necesse, ut mensuretur æternitate. Deinde videt etiam illa, ut sunt determinata per diuinam voluntatem; cuius efficacia impediri non potest, nec voluntas ipsa mutari. Ex quo sequitur, ut etiam illa videat intiendo infallibilem eorum veritatem, quatenus prædeterminata est à diuina voluntate ut prima causa; alioquin ea veritas esset à casu respectu diuinæ voluntatis & providentiæ, quod est absurdum. Per quod excluditur Suar. Vsq; & aliorum quorundam recentiorum doctrina.

Sed contra respons. hanc est argumentum Bann. loco supra notato. Quia nulla species creata potest representare liberam determinationem diuinæ voluntatis, neque idæam diuinam, ut causa est; ergo. Probatur antecedens; quia sic oporteret diuinæ voluntatis determinationem & idæam representari & cognosci ut in se est, quod per nullam speciem creatam fieri potest. *Respons.* Antecedens verum esse de representatione per speciem & lumen ordinis naturalis, non autem de representatione per speciem & lumen ordinis supernaturalis. Ad probationem negatur assumptum: quod nulla efficaciatione probari potest; Nam et si per nullam speciem creatam representari possit libera illa determinatio diuinæ voluntatis aut idæa quidditatiue & prout in se est, ita ut intuitiue proprie videatur, sicut nec representari potest essentia Dei ut probat S. D. 1. p. q. 12. art. 2. potest tamen representari per speciem creatam quo ad quia est, ita ut intuitiua cognitione minus proprie dicta videatur, ut etiam infra dicemus de rebus supernaturalibus & de mysterio SS. Trinitatis.

QVÆSTIO QUINTA. An Christus per scientiam inditam cognouerit euidenter omnia supernaturalia & mysteria gratiæ.

Christum per scientiam inditam cognouisse omnia supernaturalia, & omnia mysteria gratiæ exhibita in quacunque temporis differentia euidenter, & intuitiue, sed improprie.

Sciendum est primo multiplicem esse euidentiam cognitionis rerum præsertim supernaturalium; Prima est per claram earum visionem in essentia diuina medio lumine gloriæ; & hæc conuenit solis beatis, si sit per modum permanentis: Nam per modum transeuntis fuit etiam Paulo & Moyli communicata. Secunda est cognitionis intuitiua proprie dictæ extra Verbum; quæ fit per speciem creatam representantem rem existentem & præsentem ut est actualiter existens & præsens, eo modo quo Angeli per species insulas cognoscunt non solum rerum species, sed etiam indiuidua sub eis actualiter existentia. Tertia per cognitionem intuitiuam improprie dictam, quæ fit per speciem perfectæ representantem rem præteritam vel futuram ac si esset existens & præsens actu cognoscenti secundum mensuram cognitionis illius; quo modo diximus animam Christi per

species inditas cognoscere futura contingentia tam naturalia quam libera. Quarta euidentia est cognitionis rei per effectus proprios; sicut est cognitio existentia Dei & perfectionum eius ex creaturis accepta. Vltima est per cognitionem ex attestatione euidenti, cui nulla potest inesse falsitas; qualis est locutio Dei; qui est ipsa prima veritas, cum intellectu nostro loquitur causando in eo conceptus formatos, vel ex præexistentibus speciebus, vel ex nouiter infusis, & infundendo lumen supernaturale euidenter ostendens Deum esse qui loquitur. Quod fieri posse duobus exemplis explicant recentiores: primum est in actu vel habitu fidei; quem si quis per Dei reuelationem quidditatiue cognosceret, clare videret eius entitatem esse supernaturalem, ac proinde non nisi à Deo posse dimanare: Secundum est in humana loquutione; nam qui perfecte proprietatem & modum vocis & locutionis alicuius cognoscat, statim eius audita voce nouit euidenter eum esse qui loquitur: Deus autem suæ locutionis ad intellectum proprium habet modum, quo supernaturaliter illum immutat & eleuat ad supernaturalia; sicut etiam illi proprium est illabi mentibus. Angelus igitur aut homo ex hoc loquendi modo diuinæ reuelatione euidenter cognito cognoscit etiam euidenter Deum esse qui loquitur; sed cum hic modus sit supernaturalis, quaeritur quomodo eius cognitio habeat euidentiam: si dicatur habere euidentiam in attestante, quæro de hac attestatione, quomodo sit euidens: & ne sit processus in infinitum, necesse est deuenire ad attestationem cognitam euidenter in seipsa; igitur eadem euidentia poterunt alia supernaturalia cognosci, quia de omnibus est eadem ratio. Huius vero difficultatis solutio patebit ex dicendis.

Secundo supponendum est Deum posse creato intellectui speciem & lumen infundere, quibus intuitiue non proprie sed improprie, euidenter tamen, cognoscatur essentia Dei & Trinitas personarum quo ad quia est, quod ostendetur in quæstione proxime sequenti.

Tertio notandum est, omnia fere supernaturalia creata intrinsece claudere relationem transcendentalem ad Deum, qui est ens per se primo & simpliciter supernaturalis; ut patet de visione beatifica, de vnione hypostatica, de gratia, fide, spe & charitate, religione, & c. quo fit ut eorum euidens cognitio haberi non possit, nisi cognitio etiam ipsorum supernaturalium termino, non quidem intuitiua cognitione proprie dicta, quæ terminatur ad Deum quidditatiue cognitum, & prout est in seipso secundo modo superius explicato; prout scilicet est existens & præsens in mensura, qua mensuratur duratio cognitionis; sed intuitiua cognitione improprie dicta, quæ terminatur ad Deum cognitum quo ad quia est, & prout in se est, id est non in alio, in quo cognitio cognoscatur; quo modo probabile est Deum per speciem creatam posse representari, & ab intellectu creato cognosci; ut ostendemus inferius.

PRIMA CONCL. Christus per scientiam inditam non cognouit omnia supernaturalia possibilis, neque omnia mysteria gratiæ, quæ per Dei potentiam absolutam effici possent. Probatur: quia sic comprehenderet omnipotentiam Dei, quatenus est author gratiæ; quod videtur impossibile.

SECUNDA CONCL. Christus per scientiam inditam cognouit omnia entia supernaturalia, & omnia mysteria gratiæ nobis exhibita in quacunque temporis differentia. Hæc est S. D. in textu; & probatur etiā: quia Christus ut homo, causa est efficiens & finalis omnium supernaturalium & mysteriorum gratiæ; ergo hæc omnia

Conclusio- nes deducuntur, & probata.

omnia per scientiam inditam cognouit; conse- A
quentia valde probabilis est suppositis præsertim
propositionibus assumptis à D. Tho. in proba-
tione huius conclusionis. Antecedens probatur:
quia Christus est caput omnium prædestinatio-
rum & fons totius gratiæ, quæ redemptis confer-
tur hominibus.

TERTIA CONCL. Christus per scientiam inditam
cognouit prædicta supernaturalia, & mysteria gratiæ eui-
denter non solum in attestante, sed etiam in seipsis, id est
non in alio primò cognito; nec ea cognouit intuitiue pro-
prie sed improprie. Primam partem huius conclu-
sionis, quod scilicet Christus prædictorum ha-
buerit euidenciam in attestante, admittit & pro-
bant Bann. in 2.2. q. 5. art. 1. ad 3. & Aluar. hic disp. 61.
Secunda vero pars probatur: quia hoc nullam
implicat contradictionem, & pertinet ad maxi- B
mam Christi hominis dignitatem; ergo est asse-
rendum; & confirmatur: quia supernaturalia crea-
ta, & mysteria gratiæ sunt res finitæ, nec eorum
cognitio implicat cognitionem quidditatiuam
alicuius infiniti simpliciter; igitur per species
creatas possunt euidenter præsentari. Antece-
dens quo ad primam partem clarum est. Quo ad
secundam vero partem patet ex ultimo funda-
mento.

CONTRA secundam conclus. sunt argumenta;
quæ assert & soluit Aluar. in 61. disp.

CONTRA tertiam conclus. argum. Bannes: Nam
lumen gloriæ quo ad propriam & specificam suam
rationem à nullo intellectu carente lumine glo-
riæ est cognoscibile; ergo neque habitus fidei,
gratiæ & charitatis. Antecedens probatur; Quia C
lumen gloriæ excedit omne aliud lumen & est al-
terius & superioris ordinis; ergo distincte cogno-
sci non potest alio lumine inferiori; Consequen-
tia vero probatur: quia non potest euidenter co-
gnosci virtus seminis, nisi euidenter cognoscatur
fructus qui ex semine potest produci; sed gratia
& virtutes Theologicæ sunt veluti semina beati-
tudinis; iuxta illud ad Rom. 6. gratia Dei vita æterna;
ergo si lumen gloriæ non est euidenter sine lumi-
ne gloriæ cognoscibile, nec alij habitus superna-
turales erunt euidenter cognoscibiles. Respon. fal-
sum esse antecedens. Ad probationem dico nul-
lam esse consequentiam; nam etiam diuina essen-
tia est altioris ordinis, quam sit intellectus crea-
tus actiuus lumine gloriæ, & tamen ab eo quid-
datiue cognoscitur. Quamuis igitur in cog-
nitione quidditatiua naturali requiratur identitas
ordinis, non tamen requiritur in supernatu-
rali. Secundo dico sufficere identitatem or-
dinis genericam aut quasi genericam; qualis est
inter lumen scientiæ inditæ animæ Christi & lu-
men gloriæ; vtrumque enim est lumen intellectu-
ale supernaturalis ordinis, & lumen inditæ scien-
tiæ supremum obtinet gradum inter omnia lu-
mina supernaturalia post lumen gloriæ, cui ma-
xime assimilatur.

CONTRA eandem conclus. argum. Aluar. primo: quia
S. Thom. in fine corporis huius articuli agens de iis,
quæ Christus cognouit per scientiam inditam,
ait: Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non
cognouit, sed solum per propriam, hoc est per scientiam
beatam, & idem docet art. 5. ad primum, & loquitur
in his locis de cognitione euidenti essentia
diuinæ in seipsa. Resp. primo: Aliud esse loqui de
cognitione euidenti essentia diuinæ, & aliud de
cognitione euidenti entium supernaturalium
creatorum, de quibus loquitur nostra conclusio;
Secundo respondetur D. Tho. loqui de cognitio-
ne illa euidenti, quæ est quidditatiua & intuitiua
proprie, non autem de illa quæ proprie tantum
est intuitiua.

Secundo: Iuxta sententiam S. Tho. 1. p. q. 12. art. 2. Obi. 1.
nulla potest dari species creata, quæ repræsentet
clare & distincte diuinam essentiam prout est in
seipsa; ergo sub hac ratione non potest euidenter
cognosci, nisi per scientiam beatam, in qua vni-
tatur essentia diuina intellectui in ratione speciei
intelligibilis. Resp. D. Thom. loqui de repræsentatione
& cognitione quidditatiua & intuitiua p-
prie dicta; secundum hanc enim proprie & abso-
lute loquendo dicitur essentia diuina repræsentari
& cognosci clare, distincte & prout est in se-
ipsa.

QVÆSTIO SEXTA An Christus per scientiam infu-
sam, cognouerit euidenter mysterium sanctissimæ Trini-
tatis?

De proposita difficultate variæ sunt opinio-
nes: præcipue vero sunt quatuor. Prima est
Vasq. super hoc articul. disp. 53. & 1. p. quæst. 32. artic.
1. disp. 135. dicentis nulli intellectui creato com-
municari posse cognitionem claram diuinæ Tri-
nitatis extra Verbum, ac proinde animam Chri-
sti per solam visionem beatificam habuisse clarā
noticiam mysterij SS. Trinitatis.

Secunda sententia est Zumel. in 1. p. qu. 32. art. 1.
disp. 2. vbi statuit quinque conclusiones. Prima est:
Possibile est euidenter cognoscere mysteriū Tri-
nitatis euidentiā in attestante. Secunda est: Impo-
ssibile est vt homini, qui nunquam vidit Deum,
detur euidens cognitio Trinitatis in seipsa quan-
tum ad quid est aut quantum ad an est. Tertia est:
Christus per scientiam infusam non cognoscit e-
uidenter Trinitatem personarum in seipsa. Quar-
ta conclus. Valde rationabile & probabile est dice-
re, quod anima Christi per scientiam infusam e-
uidenter cognoscit Trinitatem, quantum ad an
est in effectib. supernaturalis ordinis; quam sen-
tentiam sequuntur quidam recentiores viri do-
ctissimi. Quinta eiusdem conclusio est: Non est im-
probabile, immo vero ratione consentaneum di-
cere, quod Christus extra Verbum per scientiam
infusam habuit euidentiā Trinitatis in attestan-
te, quantum ad an est.

Tertia sententia est Bann. in 1. p. in allegata qu. &
art. dubio 2. qui tria dicit. Primum est fieri non pos-
se etiam de potentia Dei absoluta, vt detur homi-
ni species creata, per quam possit euidenter co-
gnoscere Deum sicuti est. Secundum est: Probabi-
liter posse sustineri, quod seclusa visione beatifi-
ca possit Deus conferre speciem intelligibilem,
per quam homo euidenter iudicet Deum esse qui
loquitur & reuelat hæc mysteria, ac per conse-
quens euidenter iudicet esse vera quæ reuelantur,
& hæc est (inquit) euidentiā in attestante. Tertium
est: probabilius esse, quod seclusa visione Dei nō
possit mysterium Trinitatis euidenter cognosci
notitia intuitiua aut abstractiua.

Quarta sententia est Suar. disp. 27. sect. 5. quam
sequitur Aluar. disp. 62. Hi dicunt Christum per
scientiam inditam habuisse cognitionem myste-
rij Sanctissimæ Trinitatis euidenciam in atte-
stante ex vi proprii luminis & reuelationis super-
E naturalis.

Vltima sententia est Capr. in 2. disp. 23. quæst. vni-
ca, ad argumenta Scoti contra secundam conclusionem;
vbi dicit non repugnare, quin virtute cognitio-
nis intuitiua qua beatus intuetur Deum, possit in
ipso creari cognitio abstractiua talis, qua euiden-
ter appareat Deum esse Trinum & vnum, potis-
sime diuina virtute, ita vt beatus duplicem ha-
beat cognitionem de Deo vno & Trino; Vnam
beatificam, & alteram non beatificam: quam sen-
tentiam sequuntur Caietanus super hoc articul. &
in 2.

Argumen-
ta, & solu-
tiones.
Obi. 1. cons.
3. cons.

Solut.

Obi. 2.

Solut.

in 2. 2. quest. 171. art. 5. Molina 1. par. quest. 1. art. 2. A
disp. 4. & alij antiquiores, quos notat Vasq. in alle-
gata sua disp. 135 c. 1.

Resolutio.
Christum
per scientiam
inditam
cognoscere
evidenter
demonstratur
per
argumenta
Durandi.
Secundo
sciendum
est
cognitionem
omnem
intuitivam
fieri per
speciem
rei propriam
& de
duplici modo
cognitionis
intuitivae
de qua late
dixit Capr.
in allegata
disp. 23. in
responsionibus
ad argu-
menta Durandi.

Supponenda sunt hic primo ea, quae supra diximus
de duplici modo cognoscendi rem in seipsa, & de
duplici modo cognitionis intuitivae; de qua late
dixit Capr. in allegata disp. 23. in responsionibus ad argu-
menta Durandi.

Secundo sciendum est cognitionem omnem in-
tuitivam fieri per speciem rei propriam; ut patet
ex Capreolo loco notato. Sed species potest duplici-
ter dici propria: Vno modo, quia distincte &
perfecte repraesentat singula ad rei quidditatem
& conditiones eius pertinentia, pro ut existit ac-
tualiter in rerum natura; & haec species causat
cognitionem evidentem & intuitivam proprie
dictam, de quo loquitur Capr. in dicto loco. Alio
modo dicitur species propria, non quia rem per-
fecte & quidditative repraesentat, ut patet de spe-
ciebus seu conceptibus, quibus nos Deum intel-
ligimus, tam quo ad eius naturam absolutam,
quam quo ad Trinitatem personarum; sunt enim
proprij Deo, quatenus a qualibet alia re distin-
guuntur, licet in infinitum ab eius repraesentatione
deficiant; Multo magis itaque fieri & infundi po-
terunt intellectui creato species, quae non tantum
sint hoc modo propriae divinae Trinitatis, sed ip-
sam quo ad quia est evidentem repraesentent, ita
ut in intellectu causent cognitionem intuitivam
minus proprie dictam, quae tamen simpliciter sit
abstractiva. Nulla enim videtur esse repugnantia
ut fiat a Deo species, quae distincte & evidenter re-
praesentet intellectui meo divinam essentiam in tri-
bus suppositis subsistentem absque hoc, quod
cognitio ex ea causata terminetur ad ipsam, ut in
actu exercitio sic existit, sed haec terminatio sup-
pleatur, licet imperfecte, per speciei & luminis
excellentiam, eo fere modo quo species phanta-
sia per actum sensus communis terminat res ab-
sentes veluti praesentes actu distincte ac eviden-
ter somniantibus & quandoque vigilantibus re-
praesentant. Quanto namque excellentiores sunt
species intelligibiles a Deo supernaturaliter indi-
tae speciebus in phantasia receptis, & lumen illarum
supernaturale nobilius est lumine harum
naturalium, tanto perfectiori modo potest Deus per
illas species & lumen intellectui nostro fieri praesens
obiectivae, ita ut intuitivae (quamquam minus
proprie) videatur, supplente quodammodo spe-
ciei & luminis excellentia praesentiam & termi-
nationem obiecti secundum actualem existen-
tiam; qui praesentiae modus soli convenit intuiti-
vae cognitioni proprie dictae, qualis est visio bea-
torum.

Tertio notandum est posse Deum quo ad absolu-
ta per creatam speciem immediate & distincte, li-
cet non quidditative, repraesentari: ut late proba-
ui & explicavi in prima p. q. 56. art. 3. Contr. 1. ubi et-
iam ostendi Deum, non solum mediate, sed etiam
immediate repraesentari per substantiam Angeli.
Nulla igitur apparet repugnantia, quin possit
Deus, ut agens supernaturale intellectui creato
speciem infundere supernaturalem, quae distin-
cte ac immediate, licet non quidditative nec in-
tuitivae proprie. Deum secundum essentiam unum
in tribus suppositis relatiue distinctis subsisten-
tem repraesentet; ut etiam affirmat Scotus, quod
lib. 7. cuius mentem explicat & tuetur Molina 1. p.
q. 1. a. 2. disp. 4.

Conclu-
siones dedu-
cta, & pro-
bata.

PRIMA CONCL. Christus per scientiam inditam
cognovit evidentem mysterium Trinitatis. Haec conclu-
sio est contra Bannesium & Vasquezium: sed in
ea conveniunt alij omnes doctores supranomi-

nati; & colligitur ex textu praesentis articuli, ubi
dicitur Christum per hanc scientiam plenius &
abundantius ea omnia cognovisse, quae per reve-
lationem divinam hominibus innotescunt, siue
pertineant ad donum sapientiae, &c. & ab huius
scientiae perfectione solum excipit perfectionem
visionis beatificae; igitur perfectiori modo co-
gnovit Christus per hanc scientiam mysterium
SS. Trinitatis, quam cognoscatur per fidem, aut
prophetiam, aut per quodcunque donum Spiritus
sancti: igitur non obscure & aenigmaticae sed
evidenter. Et confirmatur: quia possibilis est talis
cognitio; igitur convenit animae Christi: Antece-
dens supra probatum est; consequentia est S. D. in
textu dicentis, fuisse conveniens ut anima Christi
omnino esset perfecta per hoc, quod omnis eius
potentialitas sit reducta ad actum. Alias proba-
tiones lege apud Zumel. conclusionem 3. & apud Sua-
rezium in allegata disp. 27. sect. 5. §. 2. Dico 2.

SECUNDA CONCL. Probabile est Christum per
scientiam inditam habuisse cognitionem mysterij SS. Tri-
nitatis quo ad quia est evidentem in attestante. Huic
conclusioni consentiunt Bann. Zumel. Suar. &
Aluar. locis supra notatis, & praeter ceteris Aluar. eam
probat & tuetur egregie.

TERTIA CONCL. Probabilis est eorum sententia,
qui dicunt Christum per hanc scientiam evidentem cognovisse
Trinitatem esse per species omnium rerum superna-
turalium, specialiter autem per species illarum rerum su-
pernaturalium, quae dicunt ordinem transcendentem ad
personas Trinitatis, ut ad obiectum vel causam firmalem,
vel terminum: Probatur haec conclusio: Quia gra-
tia participatio quaedam est Dei, ut est vnus in es-
sentia, & Trinus in personis & charitas etiam qua-
litas est disponens ad dilectionem Dei, ut est vnus
& Trinus, & lumen gloriae dispositio est in-
tellectus ad videndum Deum quo ad vnam eius
essentiam in tribus suppositis subsistentem, & vi-
sio beatifica terminatur ad Deum, ut est Trinus
& vnus, & similem habitudinem habent omnes
effectus ordinis supernaturalis: quamvis enim
gratia & alij omnes eiusdem ordinis effectus a Deo
ut ab efficiente dependant, quatenus vnus est in
essentia, ab eo tamen ut ab obiecto & termino &
ut causa formali seu exemplari ac finali depen-
dent, quatenus est Trinus & vnus. Quemadmo-
dum enim gravitas terrae naturaliter ac essentialiter
ordinatur ad centrum, ita gratia & alia super-
naturalia ex intrinseca sui natura ordinantur in
Deum unum & trinum, ut in proprium ac pro-
portionatum eorum suum; igitur in his effecti-
bus quidditative cognitis cognosci poterit eui-
denter Trinitas personarum; sicut cognita quid-
ditative terrae gravitate, cognoscimus evidentem
centrum esse.

ULTIMA CONCL. Christus per scientiam infusam
cognovit evidentem Trinitatem quo ad quia est intuitivae,
sed improprie modo superius explicato. Haec patet ex di-
ctis: & probatur etiam: quia, ut ostendimus, possi-
bile est dari speciem immediate & distincte, licet
non quidditative, repraesentantem Deum ut est
Trinus & vnus; sed per hanc cognoscitur eui-
denter & intuitivae, licet improprie, Trinitas persona-
rum quo ad an est; ergo.

CONTRA primam conclus. sunt argum. Vasq. quae
refert & soluit Aluar. disp. 62. & ea quae producit Bann. pro 4. sua concl. quorum solutio patet ex di-
ctis, & erit evidentior ex solutionibus argumen-
torum contra ultimam nostram concl.

CONTRA secundam concl. sunt argumenta, quae
referunt & solvunt Bann. Zumel. Suar. & Aluar.
locis supra notatis.

CONTRA ultimam concl. argumentatur Bann. ubi. cont.
primis,

Obi. cont.

ubi. cont.

primo, quia D. Tho. hic ait animam Christi per hanc scientiam non vidisse diuinam essentiam; ergo.

Solut. Resp. Animam Christi per hanc scientiam non vidisse diuinam essentiam quidditatiue, sed tantum quo ad quia est.

Obi. 2. Secundo impossibile est dari speciem creatam, quæ repræsentet tres personas sicut sunt in seipsis; sicut nec repræsentari potest essentia Dei, vt in se est; ergo. Eodem argumento vtitur Zumellus Respondetur falsum esse assumptum loquendo de repræsentatione essentiae & personarum in se ipsis, id est immediate & non in alio obiecto prius repræsentato; & de repræsentatione euidenti, non quidditatiua, sed quo ad quia est, de qua loquitur nostra conclusio.

Obi. 3. Contra eandem conclus. argumentantur alij primo quia species immediate repræsentans Trinitatem, & quæ est illius propria, debet esse eiusdem rationis cum illa: & eam repræsentare non tantum secundum gradum communem, sed etiam secundum gradum proprium, atque adeo non ad instar creaturæ, sed prout in se est; igitur talis species repræsentabit Trinitatem quidditatiue, &

Solut. non tantum quo ad quia est. Resp. nullam esse consequentiam potest esse species alicuius rei propria, & aliquo modo eiusdem rationis eū illa repræsentans eam immediate secundum proprium gradum, quæ tamen non repræsentet illam quidditatiue; vt patet de substantia Angeli, quæ Deum immediate repræsentat secundum proprium eius gradum, quo distinguitur ab omni ente creato vel creabili, vt est aliquo modo eiusdem rationis cum illo, quia est ipse Deus in esse intelligibili: nec tamen repræsentat Deum quidditatiue; quia propria Dei non repræsentat ea claritate & distinctione, quæ sufficiat ad cognitionem quidditatiuam; sed quæ satis sit ad Deum, prout à creaturis distinguitur, intelligendum; longe tamen perfectiori modo, quam nos per species à rebus acceptas Deum, pro vt à cæteris entibus distinguitur, intelligamus; sic igitur species inditæ animæ Christi Deum in tribus suppositis subsistentem immediate, & quo ad propria repræsentant longe perfectiori modo, quam per species & lumen diuinæ reuelationis mediatae vel immediate nobis repræsentetur; non ea tamen distinctione & claritate, quæ necessaria est cognitioni quidditatiue; sicut nec quilibet habet speciem propriam ignis, bouis aut hominis habet eius cognitionem quidditatiuam, sed necesse est distincte concipere genus & differentiam eius constitutiuam & à cæteris distinctiuam. Stat enim species rei propria, etiam in actu secundo cum cognitione confusa, aut non quidditatiua.

Obi. 4. Secundo arguitur. Quia Trinitatem esse non est aliquid minus immateriale, aut minus perfectum, aut minus identitificatum cum suo esse, quam ipsa quidditas Trinitatis; sed nulla potest dari species quidditatis Trinitatis, eo quod est infinite immaterialis & perfecta, & suum esse; igitur non potest dari species repræsentans illā esse secundum suū proprium conceptum, quin repræsentet propriū & quidditatiuum conceptum illius. Resp. hoc argumentum probari non posse dari speciem repræsentantem intuitiue proprie Trinitatem esse, non autem probat impossibile esse dari speciem, quæ repræsentet idem intuitiue, sed improprie; Vnde admissa secunda propositione & consequentia de cognitione intuitiua proprie dicta, negatur eadem secunda propositio, si sermo sit de cognitione intuitiua improprie sumpta; quamuis enim esse Trinitatis à parte rei sit idem quod quidditas Trinitatis & ideo nō possit repræsentari sicut est,

id est intuitiue proprie, nisi repræsentetur etiam quidditas sicuti est, & consequenter videatur Trinitas quidditatiue; si tamē sermo sit de cognitione intuitiua minus proprie dicta, potest repræsentari quidditas & esse Trinitatis, euidenter quidem, sed non quidditatiue; non enim omnis cognitio quidditatis est quidditatiua.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus hac scientia uti potuerit non conuertendo se ad phantasmata.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi non potuerit intelligere secundum hanc scientiam, nisi conuertendo se ad phantasmata. Quia, vt dicitur in tercio de anima, Phantasmata comparantur ad animam intellectiuam humanam, sicut colores ad visum. Sed potentia visiva Christi non potuit exire in actum, nisi conuertendo se ad colores. Ergo etiam neque anima intellectiua eius potuit aliquid intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata.

Præterea: anima Christi est eiusdem nature cum animabus nostris: alioquin ipse non esset eiusdem speciei nobiscum: contra id quod Apostolus dicit Philip. 2. quod est in similitudinem hominum factus. Sed anima nostra nō potest intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata. Ergo etiam neque anima Christi.

Præterea: Sensus dati sunt homini, vt deseruiant intellectui. Si igitur anima Christi intelligere potuit absque conuersione ad phantasmata, quæ per sensus accipiuntur, sequeretur, quod sensus frustra fuissent in anima Christi: quod est inconueniens. Videtur igitur, quod anima Christi non potuerit intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata.

Sed contra est, quod anima Christi cognouit quedam, quæ per phantasmata cognosci non possunt, scilicet substantias separatas. Potuit igitur intelligere non conuertendo se ad phantasmata.

Respondetur dicendum, quod Christus in statu ante passionem fuit simul viator, & comprehensor, vt infra magis patebit. Et præcipue quidem condiciones viatoris habuit ex parte corporis, in quantum fuit passibile: condiciones vero comprehensoris maxime habuit ex parte animæ intellectiue. Est autem hæc conditio animæ comprehensoris, vt nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur. Vnde, & post resurrectionem, ex

anima gloria redundabit ad Corpus. Ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantasmata conuerti, quod est corpori obligata, & quodammodo ei subiecta, & ab eo dependens. Et ideo anima beata, & ante resurrectionem, & post, intelligere possunt absque conuersione ad phantasmata. Et hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quæ plene habuit facultatem comprehensoris.

Ad primum ergo dicendum, quod similitudo illa, quam Philosophus ponit, non attenditur quantum ad omnia. Manifestum est enim, quod finis potentie visivæ est cognoscere colores: finis autem potentie intellectiue non est cognoscere phantasmata, sed cognoscere species intelligibiles, quas apprehendit à phantasmatibus, & in phantasmatibus secundum statum præsentis vite. Est igitur similitudo, quantum ad hoc, ad quod aspicit vtraque potentia: non autem quantum ad hoc, in quod vtriusque potentie conditio terminatur. Nihil autem prohibet, secundum diuersos status ex diuersis rem aliquam ad suum finem tendere: finis tamen propius alicuius rei semper est vnus. Et ideo, licet visus nihil cognoscat absque colore, intellectus tamen secundum aliquem statum potest cognoscere absque phantasmate, sed non absque specie intelligibili.

Ad secundum dicendum, quod licet anima Christi fuerit eiusdem nature cum animabus nostris, habuit tamen aliquem statum, quem anima nostra non habuit nunc in re, sed solum in spe, scilicet statum comprehensoris.

Ad

Ad tertium dicendum, quod licet anima Christi potuerit intelligere, non conuertendo se ad phantasmata: poterat tamen intelligere, se ad phantasmata conuertendo. Et ideo sensus non fuerunt frustra in ipsa, praesertim cum sensus non dentur homini solum ad scientiam intellectuam, sed etiam ad necessitatem vite animalis.

Sensus quaesiti.

CONVERSIO intellectus in vſu ſcientiæ aut præhabiti cognitionis habitualis fit per imperium intellectus phantasia seu cogitativam mouentis ad formandum phantasma rei singularis sub communi natura contentæ, vt in eo naturam rei materialis inspicit singulariter subsistentem, vel vt conditiones indiuiduantes materiales, quas inspicit in phantasmate remoueat à natura spiritali, puta Gabriele, vel vt in phantasmate tanquam in exemplo inspicit id, quod studet intelligere; Quæ est doctrina S. Th. lib. 2. cont. gent. cap. 73. ratione 7 & 1. p. q. 84. art. 7. vbi Cai. has omnes causas indistincte complectens ait conuerti ad phantasma nihil aliud significare, nisi vt phantasmate actualiter ad tale opus. Videnda sunt etiam quæ scribit Bannes dubio tertio, ad eundem articulum. Et licet intellectus in conuersione ad phantasmata, quæ fit secundum actum scientiæ seu cognitionis à phantasmatibus acceptæ, aut per species ab eis deriuatas, vel per accidens infusæ, ab eis dependeat & eis indigeat; conuersio tamen quæ fit per actum scientiæ per se inditæ, qualis est ea scientia animæ Christi, de qua loquitur in hoc art. S. Tho. non est ex indigentia aut dependentia vel subiectione, sed ex eminentia & abundantia perfectionis, superioritatis & virtutis ac prædominij. Cum enim possit intellectus vt specie infusa ad communem naturam intelligendam non vtendo ea, pro vt singularia repræsentat, poterit per illam naturæ communis cognitionem mouere phantasia ad formandum phantasma rei singularis sub illa natura contentæ, & in ea naturam inspicere, vt indiuidualiter subsistentem, & sic intelligere naturam illam per conuersionem ad phantasmata; vt specialiter de scientia Christi probat in hoc art. S. D. Et ex his patet Vasq. disp. 52. cap. 2. non intellexisse quid sit conuersio intellectus ad phantasmata.

Forma Textus.

CONCL. est: Anima Christi potuit vti hac scientia non conuertendo se ad phantasmata: Probat: quia anima Christi plene habuit facultatem comprehensoris; ergo potuit, &c. Antecedens probatur intra quæst. 15. art. 10. vbi ostenditur, quod Christus ante passionem fuit simul viator & comprehensor. Consequentia vero probatur ex differentia conditionum Christi vt erat viator, & vt erat comprehensor; nam conditiones viatoris habuit præcipue ex parte corporis, in quantum fuit passibile; conditiones vero comprehensoris maxime habuit ex parte animæ intellectuæ inter quas hæc vna est, vt anima intellectuæ nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur; ergo si anima Christi plene habuit facultatem comprehensoris, potuit intelligere non conuertendo se ad phantasmata. Antecedens quo ad vltimam partem probatur ab effectu: quia post resurrectionem ex anima gloria redundabit ad corpus. Consequentia vero probatur: Quia ex hoc anima viatoris indiget, ad phantasmata conuerti, quod est corpori obligata & quodammodo ei subiecta, & ab eo dependens; ergo. Probat hoc assumptum: quia anima beata, & ante resurrectionem, & post intelligere pos-

sunt absque conuersione ad phantasmata, quia scilicet non sunt corpori obligata, &c.

Controuersia Vnica.

De veritate conclusionis, & doctrina presentis articuli.

PRIMA sententia fuit Dur. in 3. sent. dist. 14. quæst. 2. dicentis Christum indignum conuersione ad phantasmata, etiam in vſu scientiæ infusæ.

Secunda sententia in altero extremo posita est Vasq. disp. 52. cap. 2. vbi duo dicit. primum est scientiam animæ Christi infusam talis esse naturæ, vt qui illam habet, non solum non indigeat conuersione ad phantasmata ad vſum illius, verum etiam ea vt non possit ad cognitionem cuiuscunque obiecti, etiam sensibilis, per conuersionem illam; quamvis fieri possit, vt simul cū intellectu vrente hac scientia operetur phantasia, & imaginatio circa res sensibiles, & eas suo modo cognoscat; ita tamen vt vſus huius scientiæ nullo modo connexus sit cum operatione imaginationis & phantasiæ; sed hoc non est proprie intelligere per conuersionem ad phantasmata. secundum est: rationem D. Th. pro sua conclusione non omnino firmam videri. Quam sententiam quo ad priorem partem quidā recentiores immerito tribuunt Suarezio.

Tertia sententia vtrique contraria est D. Tho. in hoc art. vbi duo dicit. primum est, animam Christi potuisse vt hac scientia non conuertendo se ad phantasmata; secundum est, eandem intelligere potuisse per conuersionem ad phantasmata: ita S. D. ad 3. quam sententiam sequuntur omnes eius discipuli. Ex quibus addunt nonnulli potuisse etiam animam Christi Domini vt scientia acquisita absque conuersione ad phantasmata.

Tres sunt propositæ controuersiæ partes breuiter expediendæ.

Prima est de veritate conclusionis S. Thom. asserentis animam Christi vt potuisse hac scientia non conuertendo se ad phantasmata, cuius opus posuit docet Duran. sed eius veritatem explicant & tuerentur Caietanus, Medina & alij recentiores.

Ad cuius euidentiā attendenda est primo diligenter ratio S. Thom. cuius vis in hoc consistit, quod Christus plene habuit facultatem & conditiones comprehensoris, maxime secundum animam intellectuam; inter quas hæc vna est, vt anima intellectuæ nullo modo subdatur suo corpori, nec ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur: ex quo sequitur, vt potuerit intelligere non solum scientia beata, sed etiam scientia infusa, immo & acquisita, vt dicemus, non conuertendo se ad phantasmata. Habet autem anima Christi, vt corpori dominetur, ex dote fruitionis & comprehensionis, quæ sunt animæ dotes; ex parte vero corporis nulla ad hunc effectum dos est necessaria; quia non oportet ad actus huius scientiæ corpus concurrere; ex dictis vero dotibus dominium animæ supra corpus conuenire docet D. Thom. in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 5. quæst. 1. ad 3. dicens comprehensionem importare remotionem impedimentorum, propter quæ non poterat anima Deo præsentialiter coniungi, quod quidem fit per hoc, quod habitus gloriæ animam ab omni defectu liberat, & ita reddit eam sufficientem ad cognoscendum sine phantasmate. Primo quidem secundum actum visionis beatificæ, secundario vero secundum omnem alium actum intellectuæ cognitionis conuenientem animæ, prout est in statu beati-

Sententia Doctorum.

Resolutio. Animam Christi potuisse vti scientia infusa sine conuersione ad phantasmata.

beatifico, omnis enim animæ perfectio secundum beatitudinis statum illi congruens à corpore libera est, nec illi subditur, sed eo superior est, & ad dominium pertinet animæ respectu corporis. Quamvis ergo modus operandi naturalis sequatur modum essendi naturalem, & ideo anima coniuncta corpori nihil possit intelligere naturaliter sine phantasmate, modus tamen operandi gratuitus & supernaturalis non sequitur modum essendi naturalem; sed modum essendi supernaturalem, quem habet ex gratuita Dei voluntate. Vnde S. Athan. *quæst.* 12. ait B. Virginem in salutatione Angeli vidisse nudam eius essentiam, vt in se est; quam certe videre minime potuisset, nisi modum prius habuisset operandi supernaturalem independentem à corpore & à phantasmatibus. Cum igitur anima Christi ante passionem condiciones & statum haberet comprehensoris, nullo suæ intellectiois actu corpori subdebatur, sed illi quolibet actu & habitu scientifico dominabatur, non minus quam in statu resurrectionis animæ beatorum sint corporibus quo ad actus intellectuales cognitionis dominatur; poterat igitur anima Christi non solum actu visionis beatificæ, sed etiam actu scientiæ infusæ, quæ supernaturalis est, intelligere siue conuersione ad phantasmata; quoniam vterque actus, & vtraque scientia conuenit animæ Christi ratione status beatifici; quamuis illa primario, hæc autem secundario. Scientia siquidem infusa se habet, vt dispositio vnionem consequens hypostaticam, & statum animæ Christi beatificum exornans, licet ad eius essentialem rationem non pertineat. Et quia plenum habebat anima Christi dominium super imaginatiuum suam potentiam, & species in ea conseruatas, ideo poterat ea vti pro sua voluntate in actu intellectiois rerum corporearum contemplando quidditates earum in illis speciebus, vt singulariter existentes.

Ex dictis patet primo efficacia probationis D. Thom. quam hic explicat optime Caiet. secundo, quam vanæ sint caulationes Vasquezij; quibus nititur vim dictæ probationis infringere; tertio patet solutio argumentorum Durandi; quæ refert & soluit Medina *super hoc artic.*

SECUNDA PARS *Controuersia. An Christus vii potuerit, vel vsus fuerit hac scientia conuertendo se ad phantasmata?*

Responsio est affirmans.

Secunda controuersia pars est circa responsionem ad tertium, vbi S. D. ait Christum intelligere potuisse per hanc scientiam se ad phantasmata conuertendo; cuius contrarium affirmat Vasq. sed huius dicti veritatem explicat & tuetur Aluar. in sua disput. 63. ostendens etiam probabile esse aliquando Christum usum fuisse scientia indita conuertendo se ad phantasmata. Probatio vero præcipua dictæ veritatis ea est, quæ habetur in dicta responsione collata argumento; cuius vim explicat prædictus Expositor in secunda sua conclus. nec eius dictis quidquam addendum occurrit: & est expressa doctrina S. Th. in hac q. art. 4. vt etiam hic aduertit Medina.

TERTIA PARS *Controuersia. An Christus, vt comprehensor, vii potuerit, aut vsus fuerit scientia acquisita non conuertendo se ad phantasmata?*

Sententiam affirmantem esse probabilem.

Partem affirmantem tunc quidam viri doctissimi; quorum sententia valde probabilis est: Quoniam id conuenit animæ separatæ, quæ scientiam retinet acquisitam, & ea libere vtitur absque conuersione ad phantasmata, quæ nulla sunt, aut esse possunt in anima à corpore separata; igitur etiam anima Christi, licet esset in corpore, potuit vii scientia acquisita sine conuersione ad phantasmata. in D. Thom. 3. partem.

A mata; eo quod esset in statu comprehensoris, qui longe nobilior est, & minus indigens corpore, quam status cuiuscunque animæ separatæ. Et confirmatur: quia probabile est species acquisitas addito lumine supernaturali posse representare singularia. Vnde etiam nostra Theologia quatenus scientia est, de multis agit singularibus, vt supra declarauimus. Nec tamen propterea negandum est, in anima Christi fuisse scientiam illam ordinis naturalis per se infusam, quæ cunctis infunditur animabus à corpore separatis: hæc. n. est alterius rationis ab acquisita: ab infusa vero supernaturali non videtur differre, nisi sicut imperfectum in esse naturæ, quod est perfectibile per esse gratiæ, differt à se ipso iam perfecto per gratiā, vt, exempli gratia beatitudo Angeli naturalis, quæ perfectibilis est per gratiam & gloriam supernaturalem, differt à se ipsa iam perfecta per superadditam gratiam & gloriam, & immutabilitas Angeli perficitur per gratiam, vt explicauimus in 1. p. q. 10. ar. 6. Debit enim omnis potentialitas animæ Christi ad actum reduci, ac proinde non debuit illi deesse prædicta scientia per se infusa naturalis: sed quoniam hæc ex se valde imperfecta est, vt patet ex 1. p. q. 89. ideo perfici debuit in anima superaddito lumine & speciebus etiam supernaturaliter infusis, vt per additum lumen supernaturale non minus, sed multo magis distincte representarent species illæ ordinis naturalis, quam representent species Angelorum ex natura sua perfectiores, per additas vero species representarentur ea, quæ per species ordinis naturalis non sunt apta representari, vt cordium cogitationes, futura contingentia, & mystetia gratiæ.

PRIMA CONCL. Anima Christi potuit vii scientia infusa sine conuersione ad phantasmata. Hæc est conclusio S. D. in textu, & patet ex dictis.

Conclusio deducitur, & probatur.

SECUNDA CONCL. Probatio D. Th. efficax est quantum patitur subiecta materia. Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. Anima Christi per dictam scientiam potuit intelligere conuertendo se ad phantasmata. Hæc est S. D. in respons. ad 3. & art. 4. huius quæst. Et probatur: quia Christus erat viator & comprehensor. Et quamuis hæc scientia ad statum præcipue pertineret comprehensoris, vsus tamen eius pertinebat etiam ad officium Saluatoris; atque adeo viatoris; & ideo talem debuit habere excellentiam, vt in vsu & actibus intellectiois ad salutem humani generis ordinatis modum posset inducere scientiæ viatoris & animæ rationalis, qui est intelligere per conuersionem ad phantasmata, & vnum alteri componendo, & ex vno in aliud discurrendo; vt patet ex artic. sequenti. Videndus est S. Th. in 2. 2. dist. 14. q. 1. art. 2. quæstion. 2.

QUARTA CONCL. Probabile est Christum nonnumquam usum fuisse prædicta scientia per conuersionem ad phantasmata. Hæc patet ex responsione S. Thom. ad 3. eidem argumento collata, vt optime deducit, & explicat Aluar. & est de mente S. Thom. in 2. sent. loco notato.

VLTIMA CONCL. Valde probabile est Christum vii potuisse scientia etiam acquisita sine conuersione ad phantasmata. Hæc patet ex dictis.

CONTRA primam concl. sunt argum. Dur. quæ referunt & soluunt Cai. & Med. *super hoc artic.* & Suar. disp. 28. sect. 1. 8. Sed obicit Durandus.

Argumenta, & solutiones.

CONTRA secundam conclus. Vasq. disp. 52. cap. 2. num. 10. proposito argumento Caietani, & eius responsione sic eam impugnat: Tota difficultas est de scientia infusa, quare non indigeat conuersione ad phantasmata; ergo non sufficit probasse intellectum Christi non indiguisse conuersione ad phantasmata. Et confirmatur: quia intellectus

Obi. 1. conclus. 2. conclus.

Conf.

Pp

Chri-

Solut.

Christi in hac vita, ideo non indigebat conuer-
sione ad phantasmata, quia scientia præditus erat
claræ visionis Dei, quæ nullo modo iuari potest
sensibus, non autem, quia talis intellectus erat;
quin potius ex hoc capite indigeret in quouis sta-
tu, in quo esset coniunctus corpori. *R. spon.* cum
Caiet. falsum esse anteced. quoniam hæc scientia
infusa similis est scientiæ Angelorum, & ea longe
excellentiore est; & ideo sicut per eam Angeli re-
rum essentias, vt indiuidualiter existentes intuen-
tur absque conuerfione ad phantasmata & sine
discursu & compositione, sic & multo magis a-
nima Christi per scientiam inditam potuit intel-
ligere absque conuerfione ad phantasmata. *Ad*
confirmat. dico falsum esse antecedens præcise
sumptum; status enim comprehensoris cum om-
nibus ad ipsum pertinentibus propria causa est
non indigentia conuerfionis ad phantasmata; vt
supra declarauimus.

ad Conf.

Obi. 2.

Contra eandem conclus. est hoc argumentum; A-
nima Christi licet esset beata, non tamen habebat
alias perfectiones & conditiones beatorum ani-
marum; ergo non oportuit, vt haberet dominiũ
in corpus, ita vt posset intelligere sine conuerfio-
ne ad phantasmata. Antecedens probatur: quia
anima Christi non conformabatur voluntati Dei
etiam in volito materiali; vt probat S. Doct. infra
quest. 18. art. 8. ex illo Matth. 26. *Transseat a me calix*
iste. Et præterea contristabatur: nam vt in eodem
cap. dicitur, *capit contristari, & maestus esse.* Ergo. *Resp.*
falsum esse antecedens. Ad probationem dico
conformitatem duplicem esse posse, alteram per
voluntatem, vt ratio est, siue vt est deliberata; &
hoc modo Christi voluntas conformabatur in
volito, etiam materiali, diuinæ voluntati; quæ est
perfectio conueniens omni beatæ voluntati; al-
tera est per voluntatem antecedentem, & vt na-
tura est; & hoc modo neque Christi voluntas,
neque beatorum voluntates necessario, aut sem-
per conformantur diuinæ voluntati: vt ait S. D.
in 3. sent. dist. 17. quest. 1. artic. 2. quest. 1. & dist. 31. quest.
2. art. 3. questum. 2. & Caiet. Matth. 20. exponens
murmur operariorum. Ad aliam probationem
dico Christum habere debuisse omnes eas perfe-
ctiones animæ beatæ, quæ non tollunt merendi
facultatem, non autem eas, quæ illam non admit-
tunt; constat autem dolorem, tristitiam & mæro-
rem voluntarie suscepta ad finem redemptionis
esse meritoria; & ideo non debuit habere perfe-
ctiones affectionibus istis oppositas: obligatio
vero ad corpus, cui opponitur prædominium, nõ
conducit ad meritum; quia prior est ex natura sua
omni actu voluntatis; Doctrina est D. Thom. in-
fra q. 15. art. 5. ad 3.

Solut.

CONTRA tertiam, & quartam conclusionem
sunt argumenta Vsq. quibus optime respondet
Aluarez.

ARTICVLVS III.

Vtrum hæc scientia fuerit collatiua.

3. d. 14. ar. 3.
q. 3. & veri.
q. 20. a. 3. ad
1. c. 14. & li.
2. c. 22.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod anima Chri-
sti hanc scientiam non habuerit per modum colla-
tionis. Dicit enim Damasc. in 3. lib. In Christo non dici-
mus consilium neque electionem. Non autem remouentur
hæc à Christo, nisi in quantum importat collationem, &
discursum. Ergo videtur, quod in Christo non fuerit scien-
tia collatiua vel discursiua.

q. præc. a. 2.

Præterea: Homo indiget collatione, & discursu ratio-
nis ad inquirenda ea, quæ ignorat. Sed anima Christi co-
gnouit omnia, vt supra dictum est. Non ergo in ea fuit
scientia discursiua, vel collatiua.

Præterea: Scientia animæ Christi se habuit per modum
comprehensorum, qui Angelis conformantur: vt dicitur
Matthæi vigesimo secundo. Sed in Angelis non est scientia
discursiua, seu collatiua: vt patet per Dionys. 7. cap. de di-
uin. nom. Ergo nec etiam in anima Christi fuit scientia
discursiua, seu collatiua.

Sed contra est. quod Christus habuit animam ratio-
nalem vt supra habitum est. Propria autem operatio ani-
mæ rationalis est conferre, & discurrere de vno in aliud.
Ergo in Christo fuit scientia discursiua vel collatiua. *q. 5. a. 3.*

Respondet dicendum, quod aliqua scientia potest esse
discursiua, vel collatiua dupliciter. Vno modo, quantum
ad scientiæ acquisitionem: sicut accidit in nobis, qui proce-
dimus ad cognoscendum vnum per aliud, sicut effectus per
causas, vel econuerso. Et hoc modo scientia animæ Christi
non fuit discursiua, vel collatiua: quia hæc scientia, de qua
nunc loquimur, fuit sibi diuinitus indita, non per inuesti-
gationem rationis acquisita. Alio modo potest dici aliqua
scientia discursiua, vel collatiua, quantum ad vsum: sicut
interdum scientes, ex causis concludunt effectus: non vt de
nouo addiscant, sed volentes vti scientia, quam iam habent.
Et hoc modo scientia animæ Christi poterat esse collatiua,
& discursiua. Poterat enim ex vno aliud concludere, sicut
si placebat: Sicut Matth. 17. cum Dominus quæfisset à
Petro, à quibus Regis terræ tributum acciperent, à filiis
suis, an ab alienis, Petro respondente, quod ab alienis, con-
clussit. Ergo liberi sunt filij.

Ad primum ergo dicendum, quod à Christo excluditur
consilium, quod est cum dubitatione: & per consequens ele-
ctio, quæ in sui ratione tale consilium includit. Non autem
à Christo excluditur vsum consilii.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de dis-
cursu, & collatione, prout ordinatur ad scientiam acqui-
rendam.

Ad tertium dicendum, quod Beati conformantur An-
gelis, quantum ad dona gratiarum: manet tamen dispo-
sitiua, quæ est secundum naturam. Et ideo vti collatione,
& discursu, est connaturale animabus Beatorum, non au-
tem Angelis. *D. 14. c. 186.*

Sensus quæsti.

Esse collatiuum hic sumitur, prout extenditur
etiam ad discursiuum; vt patet ex principio
corporis. Dicitur autem scientia collatiua, aut di-
scursiua, cuius actus fit per modum collationis,
aut discursus: ita vt sensus sit. Vtrum huius scien-
tiæ cognitio fuerit per collationem, aut discursu-
m.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsto
duabus conclusionibus.

Distinctio est: Scientia potest esse collatiua, vel
discursiua dupliciter: Vno modo, quantum ad scien-
tiæ acquisitionem: sicut accidit in nobis, qui pro-
cedimus ad cognoscendum vnum per aliud; sic-
ut effectus per causas, vel econuerso; Alio modo,
quantum ad vsum; sicut interdum scientes ex cau-
sis concludunt effectus, non vt de nouo addiscant,
sed volentes vti scientia, quam iam habent.

PRIMA CONCL. est: Scientia hæc non fuit discursi-
ua, vel collatiua quantum ad acquisitionem. Probat: quia
hæc scientia fuit illi diuinitus indita, non per
inuestigationem rationis acquisita; ergo.

SECUNDA CONCL. Scientia hæc potuit in anima
Christi esse collatiua, & discursiua quantum ad vsum.
Probat: quia poterat ex vno aliud concludere;
ergo. Antecedens probatur ex locutione Domi-
ni cum Petro Matth. 17. quæ refertur in textu.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ scribunt Med. & Suar. in
comment. pro intelligentia præsentis art.

Contro-

Controuersia Vnica.

De veritate secunde Conclusionis. An scilicet hæc scientia quo ad vsum fuerit discursiua, aut collatiua.

Sententia
Doctorem.

TRES sunt in hac q. Theologorum opiniones: prima est Ricardi in 3. dist. 14. quest. 3. art. 4. vbi docet Christum hac scientia vti nō potuisse cura discursu; quam sequuntur Suarez disp. 28. sect. 2. & Vasq. hic disp. 52. cap. 3. & 1. p. dist. 22. cap. 2. qui pro eadem sententia citant S. Bonau. qui tamen non agnōuit in Christo scientiam infusam per se distinctam à naturali.

Secunda scientia est Durandi in 3. dist. 14. quest. 3. dicentis scientiam hanc esse necessario discursiuam, & pro sua scientia citat Alensem, quem etiam alij recentiores allegant pro tertia sententia. Sed hic author nullam in Christo posuit scientiam inditam, sed tantum naturalem.

Tertia sententia est D. Thom. in hoc, & in seq. artic. & alibi dicentis scientiam hanc ex sui natura non esse necessario discursiuam, sed ex parte subiecti, quod est anima rationalis, posse ad eius libitum habere modum cognoscendi per discursum; quā sententiam sequuntur & tuerentur omnes eius discipuli.

Resolutio.
Scientiam
Christi, quo
ad vsum nō
fuisse neces-
sario colla-
tiuam, aut
discursiuam.
vtrumque
tamen habere
re potuisse.
& habuisse
nōn unguā.

Notandum est primo ex D. Thom. 1. p. quest. 14. art. 7. & quest. 38. art. 3. ad 1. duplicem esse discursum: Vnus est minus proprie seu communiter dictus; qui est secundum solam conceptum, & intellectum successionem: sicut (inquit S. D.) cum, postquam intelligimus aliquid in actu, conuertimus nos ad intelligendum aliud: Alter discursus est stricte & proprie dictus; De priori discursu nulla quæstio est; omnes enim illum admittunt in anima Christi secundum scientiam inditam; sicut in Angelis illum admittit S. Doct. in 1. p. q. 58. Sed de posteriori tantum discursu controuersia est. Hic vero duplex est, vt habetur in textu: Vnus, quo scientia fit acquisitio; qui est secundum casualitatem: sicut cum per principia peruenimus in cognitionem conclusionum. Hic enim discursus, vt ait S. D. in allegata quest. 58. quendam motum nominat; omnis autem motus est de vno priori in aliud posterius. Vnde discursiua cognitio attenditur, secundum quod ex aliquo prius noto deuenitur in cognitionem alterius posterius noti, quod prius erat ignotum. Alius est discursus, qui consistit in vfu scientia; cum scilicet scientes ex causis concludunt effectus, non vt de nouo addiscant, sed volentes vti scientia, quam iam habent: Postulat autem hæc discursiua cognitio quatuor condiciones. Prima est, vt principia secundum sua significata dicant seu contineant causas conclusionis. Secunda est, vt principia prius cognoscantur in actu secundo, quam conclusiones, licet prius tam principia quam conclusiones cognoscerentur in actu primo. Tertia ex secunda consequens est, vt, si forte principia & conclusiones cognoscantur per eandem speciem inditam, non vtatur intellectus in vno & eodem actu specie illa secundum totam eius potestatem in representando, sed ea primo vtatur, vt representat principia, deinde vt representat conclusionem. Quarta conditio est, vt cognitio actualis conclusionis oriatur ex actuali cognitione principiorum. Quia simul omnes condiciones inueniri nequeunt, nisi in intellectu nature rationalis; qualis est intellectus animæ Christi. Neque placet opinio quorundam recentiorum dicentium scientiam hanc animæ Christi ideo esse discursiuam, quia multæ sunt in ea conclusiones ex principiis

Naz. in D. Thom. 3. partem.

A visione beatifica cognitionis deductæ; quod etiā affirmant de cognitione Angelorum circa multa supernaturalia, quæ noua sunt, & absque fundamento ex cogitata, & aliena à Doctrina D. Th. qui de tali discursu nusquam meminit. Et reici facile potest hæc phantasia ex doctrina Cai. 1. p. q. 1. ar. 2. vbi statuit, ac explicat condiciones scientiæ subalternantis & subalternatæ. Non enim de ratione scientiæ subalternatæ est, vt eius principia discursu syllogistico probetur per principia visa in scientia superiori; sed, vt eadem principia, quæ per se non sunt euidentia in scientia inferiori, sint euidentia in scientia superiori; vt ibi late declarauimus cum Cai.

Secundo sciendum est tria esse habituum intellectuum genera: Quidā enim ex natura sua sunt discursiui: vt illi omnes, qui ex sensibilibus sunt acquisiti; vt probat S. D. in 3. dist. 14. q. 1. art. 3. questum. 3. Quidam ex natura sua sibi vendicant, vt non sint discursiui; vt habitus ad naturalem cognitionem Angelorum pertinentes, & habitus primorum principiorum in intellectu nostro; hic enim perficit intellectum secundum gradum eius supremum, quo conuenit cum intellectu Angelorum, in quo nullus potest esse discursus. Quidam demum sunt habitus ex se minime discursiui; qui tamen in tali subiecto positi s. in anima rationali possunt actum intellectus efficere discursiuum. Quidam tales in anima recipiuntur, non tantum secundum gradum illius supremum, quo conuenit cum Angelis, sed etiam secundum proprium illius gradum & differentiam, qua differt ab Angelis, & eis inferior est; ita vt tales habitus à Deo supernaturaliter agente dati sint ad animam intellectuam, non solum quatenus intellectiua est, sed etiam quatenus rationalis est, perficiendam. Cuius ratio est: quia nulla in Christo est scientia supernaturalis extra visionem beatificam præter infusam; igitur omnes discursus Christi Domini circa supernaturalia effectus sunt huius scientiæ, tanquam perficientis intellectum animæ Christi secundum gradum etiam rationalem; non autem sunt actus scientiæ acquisitæ, cuius lumen species & obiecta sunt ordinis naturalis. Sed dicunt opposita sententiæ defensores, ac præsertim Vasquez Christum voce ipsa protulisse discursum, vt se accommodaret audientibus, non tamen in mente & conceptu suo vsum fuisse discursu: sicut si Deus in forma humana nobis appareret, ita loqui posset & tamen nullo modo discurreret. Sed hanc responsionem merito reiecit Aluarez; quia locutiones Christi Domini non fuerunt phantasticæ aut metaphoricæ, sicut locutiones Angelorum, & sicut esset locutio Dei, si sensibilibus loqueretur, sed fuerunt veræ & propriæ locutiones humanæ, & veri actus vitales; ac proinde etiam fuerunt internæ locutionis & discursus signa. Et quia discursus in se claudit compositionem, consequens est vt anima Christi vti potuerit, & sæpius etiā vti fuerit indita scientia componendo & diuidendo, non solum in discursu, sed etiam ante vel extra discursum.

PRIMA CONCL. Hæc scientia quo ad vsum non necessario fuit discursiua; Probatur: quia erat altior scientia Angelorum, neq. habet dependentiam à phantasticis.

Conclusio.
nes deduc-
ta, & probata.

SECUNDA CONCL. Hæc scientia quo ad vsum potuit esse, & aliquando fuit actu discursiua, & collatiua: Hæc est S. D. in textu, & patet ex dictis.

CONTRA primam concl. est argumentum, quod proponit & soluit Suarez disp. 28. sect. 2. §. sed obici potest.

Argumen-
ta, & solu-
tiones.

CONTRA secundam conclus. argumentatur Suarez: quia proprius & connaturalis modus cognoscendi

Obi. cont. 2.
concl.

Pp 2 sciendi

Conf.

Solut.

Replia.

Solut.

scendi per hanc scientiam est per simplicem in-
tuitum seu cognitionem: sed huiusmodi modus
operandi natura sua opponitur discursui seu cō-
positioni; ergo ex natura rei nunquam hæc scien-
tia operatur alio modo; sicut fieri non potest, ut
per habitum principiorum cognoscantur princi-
pia per discursum; quia ille habitus intuetur veri-
tatem principiorum simpliciter, prout in se est. Et
confirmatur quia quamvis possit anima Christi vi
aliqua specie per se infusa in adæquate, & postea
paulatim perficere illum actum, non tamen pro-
pterea erit ille discursus, sed solū cognitio vnius
rei post aliam; sicut contingit etiam in Angelo;
ergo, &c. Resp. scientiam hanc, licet ex sui natura
non habeat ut sit discursiva, ex tali tamen subie-
cto, scilicet anima rationali, habere ut valeat esse
discursiva; ut etiam supra diximus de conuersio-
ne ad phantasmata. Sed hanc respons. arguit Suarez.
Nam (inquit) non est simile; quia conuersio ad
phantasmata non dicit aliquid intrinsecum ip-
si scientiæ, quæ est in intellectu, sed tantum dicit
concomitantiam quandam inferioris potentie
ex motione superioris; quæ motio fieri potest per
scientiam superiorem & perfectā; at vero discursus
dicit intrinsecam imperfectionem & limitat-
ionem in actibus, per quos fit discursus; fieri au-
tem non potest, ut scientia, quæ ex natura sua ha-
bet efficere actus perfectos & superioris ordinis,
trahatur ad efficiendos actus ordinis inferioris.
Respon. primo falsum esse conuersionem ad phan-
tasmata non dicere aliquid intrinsecum scientiæ;
nam, ut ait S. D. 1. p. q. 84. art. 7. de ratione natura sen-
sibilis est, ut in aliquo individuo existat, quod non est abs-
que materia corporali; sicut de ratione natura lapidis est,
quod sit in hoc lapide; & de ratione natura equi est, quod
sit in hoc equo, & sic de aliis. Vnde (inquit) natura lapi-
dis, vel cuiusunque materialis rei cognosci non potest cō-
plete, & vere, nisi secundum quod cognoscitur, ut in parti-
culari existens; particulare autem apprehendimus per sen-
sum, & imaginationem; & ideo necesse est ad hoc, ut intel-
lectus intelligat obiectum proprium, quod conuertat se ad
phantasmata; ut speculetur naturam vniuersalem, ut in
particulari existentem. Hæc ibi: quæ verba exponēs
Caiet. ait, quod esse in particulari radicaliter est
simpliciter de ratione nature sensibilis; esse au-
tem in particulari formaliter est de ratione eius-
dem nature ut modus. Ex quibus patet conuer-
sionem ad phantasmata esse quid intrinsecum
scientiæ tanquam pertinet ad eius complemen-
tum. Secundo dico discursum acquisitionis scien-
tiæ, & etiam causalem ex natura scientiæ ad talem
modum intelligendi determinatē dicere imper-
fectionem; non autem discursum vsualem ex e-
minentia scientiæ infusæ in subiecto rationali re-
ceptæ, & ex libera ipsius subiecti voluntate pro-
uenientem; sicut etiam de conuersione ad phan-
tasmata supra dictum est.

Contra eandem conclus. sunt argumenta Vasq. quæ
proponit & soluit Aluarez disp. 64. Alia argu-
menta ex prænotatis facile diluuntur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hæc scientia in Christo fuerit maior scientia
Angelorum.

Sup. q. 10.
a. 4. et inf.
2. 6. 1. et q.
3. 4. a. 4. co.
et q. 19. art.
6. 6.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod huiusmodi
scientia in Christo fuerit minor, quam in Angelis.
Perfectio enim proportionatur perfectibili. Sed anima
humana secundum ordinem nature est infra naturam
Angelicam. Cum igitur scientia, de qua nunc loquimur,
sit indita anima Christi ad perfectionem ipsius, videtur,

quod huiusmodi scientia fuerit infra scientiam, quæ perfi-
citur natura angelica.

Præterea: Scientia anima Christi fuit aliquo modo
collatiua, & discursiva: quod non potest dici de scientia
angelica. Ergo scientia anima Christi fuit inferior scientia
Angelorum.

Præterea: Quanto aliqua scientia est magis immate-
rialis, tanto est potior. Sed scientia Angelorum est imma-
terialior, quam scientia anima Christi: quia anima Chri-
sti est actus corporis, & habet conuersionem ad phantaf-
mata: quod de Angelis dici non potest. Ergo scientia Ange-
lorum est potior, quam scientia Christi.

Sed contra est, quod Apost. dicit Hebr. 2. Esim autem,
qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum
propter passionem, mortis, & honore coronatum.
Ex quo apparet, quod propter solam passionem mortis dica-
tur Christus ab Angelis minoratus: non ergo propter
scientiam.

Respondeo dicendum, quod scientia indita anima Chri-
sti, potest dupliciter considerari. Vno modo secundum il-
lud, quod habuit a causa influente: Alio modo secundum
id, quod habuit ex subiecto recipiente. Quantum igitur ad
primum, scientia indita anima Christi, fuit multo excel-
lentior, quam Angelorum scientia, & quantum ad mul-
titudinem cognitorum, & quantum ad scientia certitu-
dinem: quia lumen spiritualis gratiæ, quod est inditum a-
nima Christi, est multo excellentius, quam lumen, quod
pertinet ad naturam Angelicam. Quantum autem ad se-
cundum scientia indita anima Christi, est infra scientiam
Angelicam, scilicet quantum ad modum cognoscendi, qui
est naturalis anima humane: qui scilicet est per conuersio-
nem ad phantasmata, & per collationem, & discursum.
Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Sensus questii.

Dictio illa maior de maiestate simpliciter vi-
detur intelligenda. De hac enim præcipue
videtur esse comparatio, & de hac loquitur pri-
ma conclusio; licet secundario ad maiestatem
secundum quid videatur extendi; de quo loqui-
tur secunda conclusio.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione responderetur quæsitio
duabus conclusionibus.

Distinctio est: Scientia indita anime Christi po-
test dupliciter considerari: Vno modo secundum
illud, quod habuit a causa influente: Alio modo
secundum id, quod habuit ex subiecto recipiente.

PRIMA CONCL. est: Scientia indita anime Christi
secundum illud, quod habuit a causa influente, fuit multo
excellentior, quam Angelorum scientia, & quantum ad
multitudinem cognitorum, & quantum ad scientia certi-
tudinem. Probat: quia lumen spiritualis gratiæ,
quod est inditum anime Christi, est multo excel-
lentius, quam lumen, quod pertinet ad naturam
Angelicam.

SECUNDA CONCL. Scientia indita anime Christi
secundum id, quod habuit ex subiecto recipiente est infra
scientiam Angelicam. Probat: Quia modus cognos-
cendi, qui est naturalis anime humane, qui scilicet
est per conuersionem ad phantasmata, & per
collationem & discursum, est inferior modo An-
gelicæ cognitionis.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt ea, quæ circa distinctionem &
conclusiones notat Caiet. & ea quæ scribit
idem expositor, & post eum Med. & latius Vasq.
disp. 52. cap. 4. contra Scotum de cognitione
anime Christi intuitiua rerum in
proprio genere.

Contra.

Controuersia Vnica.

De veritate conclusionum D. Thom. An scilicet scientia animæ Christi secundum id, quod habuit ex parte Dei influentis, fuerit excellentior, quam scientia Angelorum; secundum id autem, quod habuit ex subiecto recipiente, sit infra scientiam Angelicam.

Sententia
Dilectorum.

TRES SVNT de proposita dubitatione sententia. Prima est Suar. disp. 18. sect. 1. & Vasq. in allegata disp. 52. Hi docent scientiam inditam animæ Christi esse maiorem seu perfectiorem Angelicam, non solum quo ad multitudinem cognitorum & scientiæ certitudinem, sed etiam omnibus modis; quoniam (inquiunt) non est discursiua; Conuersio vero, quam admittit ad phantasmata, nullam in ea ponit imperfectionem, aut dependentiam ab illis, sed magis dicit perfectionem & efficaciam qua possit mouere phantasmata.

Secunda sententia in alio extremo posita est Scoti in 3. disp. 14. q. 4. vbi videtur asserere scientiam inditam animæ Christi simpliciter esse minus perfectam scientia Angelorum, præfertim vero, quatenus est intuitiua; vt hic etiam de mente Scoti dicit Cai. & post eum alij recentiores.

Tertia sententia est S. D. in textu; quam tuentur omnes eius discipuli; quæ consistit in duabus conclusionibus supra positis.

Resolutio.
Scientiam
inditam a
nimæ Chri
sti, tam vt
est abstra
ctiua, quæ
vt est intui
tiua, perfe
ctiorem esse
omni scien
tia Angelo
rum natu
rali: Et su
pernaturalis
est, & illius
actus esse
huius acti
bus essentia
liter perfe
ctiores; mo
dum autem
intelligendi
per conuer
sionem ad
phantasma
ta, & per
discursum
esse modo
huius im
perfectioris.

Sciendum est primo in Angelis præter visionem beatificam esse duplicem scientiam illis infusam à Deo; alteram naturalem; de qua S. D. agit in 1. p. q. 55. vbi quæ ad q. 59. includit; alteram supernaturalem; de qua in eodem libro, q. 106. differit idem S. D. At scientia indita animæ Christi supernaturalis est, & vnatanquam, licet aliam etiam habeat acquisitam. Quanta vero sit huius inditæ scientiæ nobilitas, perspicue patet ex iis, quæ de hac scientia supra docuit S. Thom. art. 1. vbi ait Christum per hanc scientiam illa omnia cognouisse, quæ per reuelationem diuinam hominibus innoscunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quocunque donum Spiritus sancti quibus adde notitiam futurorum contingentium, & cogitationum. Ex quo sequitur, vt sit etiam perfectior, quam scientia supernaturalis Angelorum, quæ non includit perfectionem notitiæ, quæ est per dona Spiritus sancti neque extenditur ad futura contingentia, aut cogitationes cordium.

Secundo considerandum est animam Christi per scientiam inditam duplicem de rebus habere cognitionem; alteram intuitiuam; quæ est de solis rebus existentibus & præsentibus ipsi secundum mensuram actus cognoscendi; alteram abstractiuam; quæ est de rebus omnibus absolute consideratis abstractendo à præsentia, & existentia in actu exercito: & vtræque cognitio perfectior est Angelica cognitione: quia res attingit sub altiori ac nobiliori lumine & ratione formali; & certius ac clarius, quam intelliguntur ab Angelis.

Tertio notandum est oportere actum & modum intelligendi proportionari non solum specificæ luminis perfectioni, sed etiam subiecto, in quo recipitur: vt patet de lumine prophetico & de lumine fidei, quod est perfectius lumine Angelorum naturali, & tamen ex eo elicitur actus intelligendi proportionatus virtuti, speciei & modo intellectus humani, quibus perfectiores sunt species, virtus ac modus intellectus angelici; lumen etiam gratiæ siue gratuitum eiusdem est speciei in omnibus Angelis & hominibus; vt ait S. D. de Ver. Nat. in D. Thom. 3. partem.

A q. 9. art. 1. ad 17. & tamen in Angelo superiori principium est actus intelligendi nobilioris; quoniam ex parte subiecti species habet magis vniuersales. Vnde inferiorem illuminat formando cōceptus speciebus illis inadæquatos, & minus vniuersales, vt explicat S. D. in 1. p. q. 106. art. 1. vbi multa diximus circa modum Angelicæ illuminationis; cuius dicti rationem supra assignauimus dicentes scientiam infusam animæ Christi, & eadem ratione ceteros habitus & lumina supernaturalia perficere intellectum non solum secundum gradum eius supremum illi communem cum Deo & Angelis, sed etiam secundum proprium & specificum gradum, quo ab eis distinguitur, & in proprio esse constituitur; De lumine tamen gloriæ alia ratio est: hoc enim perficit intellectum secundum gradum eius supremum, & eum eleuat ad intelligendum nobilissimo modo diuinæ intellectiōni simillimo; iuxta illud 1. Ioan. 3. Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Vide etiam Caietanum art. sequenti.

B Quarto recolendum est id, quod supra diximus de scientia animæ Christi, videlicet animam Christi vt possit prædicta scientia pro sua voluntate cum conuersione ad phantasmata, & cum discursu, & absque conuersione & discursu ita vt prior vsus sit cum conuersione & discursu sit ex natura subiecti; posterior autem sine conuersione & discursu sit ex natura & perfectione scientiæ secundum se considerata. Nec tamen scientia hæc ex conditione subiecti aliquam intrinsece contrahit imperfectionem, quæ non inest Angelicæ scientiæ; Cum enim hæc scientia sit altioris ordinis, quam Angelica, perfectior ea est secundum essentiam; ac proinde etiam actus suos omnes habet essentialiter perfectiores illis, qui per scientiam eliciuntur Angelorum. Et licet actus, qui per hanc scientiam eliciuntur per conuersionem ad phantasmata & cum discursu, modum habeant imperfectiorem eo, quem habent actus elicti ex Angelica scientia; hic tamen modus omnino accidentaliter est scientiæ Christi, & nullam in ea ponit imperfectionem, sed magis ex illius excellenti perfectione procedit; Ex hac enim habet anima Christi, vt pro sua voluntate possit mouere cogitatum, & vt phantasmatibus ad intelligendum rem, vt singulariter existentem; sicut ex eadem excellentia potest intelligere componendo & discurrendo; & sic ea scientia vt iuxta modum suæ naturæ rationalis. Quemadmodum enim Deus operando in rebus necessariis & in contingentibus ac liberis intime & suauiter iuxta modum vniuersalisque naturæ nullam contrahit imperfectionem, sed infinitæ suæ virtutis exercet & explicat excellentiam; ita scientia indita anime Christi, cum actus elicitur iuxta modum naturæ rationalis, suam exercet & explicat perfectionem.

C PRIMA CONCL. Scientia hæc indita anime Christi secundum se, tam vt abstractiua, quam vt intuitiua, perfectior est omni scientia Angelorum naturali & supernaturali. Hæc patet ex primo & secundo notabili.

E SECUNDA CONCL. Actus omnes per hanc scientiā elicti perfectiores sunt essentialiter actibus per Angelorum scientiam elictis. Hæc patet ex duobus vltimis fundamentis.

VLTIMA CONCL. Hæc scientia quo ad modum actuum, quos elicit per conuersionem ad phantasmata & per discursum, est inferior scientia Angelorum.

CONTRA primam conclus. quo ad secundam eius partem est argumentum Scoti confutatum à Caiet. Med. & aliis recentioribus. Contra eandem conclusionem est hoc argumentum; Scien-

Conclusio
nes dedu
ta, & pro
bata.

Argumen
ta, & solu
tiones.

Corf.

Solus.

Ad conf.

Obi. cont.
vlt. concl.

O'us.

O'i. 2.

Solus.

tia hæc habuit species in minori vniuersalitate, A quam Angeli, ita vt anima Christi diuerfas naturas específicas per diuerfas species cognoscat; vt ait S. D. infra art. 6. igitur hæc scientia omnibus modis est imperfectior scientia Angelorum. Et confirmatur: quia species huius scientiæ se tenet ex parte Dei influentis, quod ex eo patet, quia priores natura sunt omni actione animæ Christi; quæ ratione etiam lumen huius scientiæ se tenet ex parte Dei influentis. Respon. nullam esse consequentiam, quia scientia hæc excedit Angelicam in multitudine, ac certitudine & claritate rerum cognitarum. Ad confirmat. respondetur species huius scientiæ se tenere ex parte Dei influentis quantum ad virtutem representandi, non autem, quantum ad limitationem & particularitatem, quam habent ex natura subiecti ante omnem actionem ex eis elicitam: Nec est eadem ratio de lumine: quoniam hoc ex natura sua excedit modum intelligendi animæ connaturalem, & non accomodatur in rerum manifestatione modo proprio lumini naturali.

CONTRA vltimam conclus. sunt hæc argumenta. Primum est: Modus cognoscendi per conuersionem ad phantasmata & per discursum erat supernaturalis; ergo etiam ex hac parte erat hæc scientia perfectior cognitione naturali Angelorum; Probatur antecedens: quia modus huius scientiæ proportionatur illi; cum ergo scientia sit supernaturalis, eius etiam modus erit supernaturalis. Respon. modum illum essentialiter & entitatiue esse supernaturalem, & ideo essentialiter esse nobiliorem modo scientiæ seu cognitionis Angelorum naturalis; idem tamen huius scientiæ modus in ratione modi, vt sic imperfectior est modo cognitionis Angelorum: sicut etiam supernaturalis inherencia gratiæ perfectior est essentialiter & entitatiue, quam substantia; sed in ratione modi imperfectior est, quam substantia & eius modus: Hæc tamen imperfectio scientiæ ratione modi non est priuatiua, nec est scientiæ aut eius actibus intrinseca; sed est negatiua & quasi per extrinsecā denominationem.

Secundum est: ex hac conclus. & ex secunda S. D. in textu, quæ eadem est cū ista, sequitur quod idem lumen huius scientiæ receptum in intellectu naturæ perfectioris eliceret cognitionem perfectiorem, quam in anima Christi: At consequens est absurdum, vt ostendimus 1. p. q. 12. art. 6. ergo Conseq. probatur: quia si lumen huius scientiæ supernaturale actum elicit imperfectiorem, quia est in imperfectiori subiecto, scilicet in anima humana, igitur si ponatur in Angelo supremo, eliciet actum longe perfectiorem. Respon. dupliciter intelligi posse cognitionem illam esse perfectiorem: Vno modo, vt sit perfectior, quam exigit perfectio & virtus luminis supernaturalis huius scientiæ; & in hoc sensu falsa est consequentia. Alio modo vt sit perfectior cognitio, quam sit ea, quæ per idem lumen elicitur in subiecto inferiori ex libera voluntate ipsius subiecti imperfectioris; & in hoc sensu admittitur consequentia & ipsum consequens.

ARTICVLVS V.

Vtrum hæc scientia fuerit habitualis.

3. d. 14. a. 1.
q. 2. c. 3.
vbi q. 20.
a. 2. q. 9. a. 1.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerit habitualis scientia. Dicitur enim, quod anima Christi deicit maxima perfectio scientiæ existentis in actu, quam existentis in potentia, vel habitu. Ergo conueniens fuisse videtur, quod omnia sciret in actu. Non ergo habuit habituales scientias.

Præterea: Cum habitus ordinetur ad actum, frustra videtur esse habitualis scientia, quæ nunquam in actum reducitur. Cum autem Christus sciret omnia (sicut iam dictum est) non potuisset actu omnia illa considerare, vnum post aliud cogitando: quia infinita non est enumerando pertransire. Frustra igitur fuisset in eo quorundam scientia habitualis: quod est inconueniens. Habuit ergo actuales scientias omnium, quæ sciuit, & non habituales.

Præterea: Scientia habitualis est quædam perfectio scientiæ. Perfectio autem est nobilior perfectibili. Si igitur in anima Christi fuisset aliquis habitus scientiæ creatus, sequeretur, quod aliquid creatum esset nobilius, quam anima Christi. Non igitur in anima Christi fuit scientia habitualis.

Sed contra est: Scientia Christi, de qua nunc loquimur, vniuersa fuit scientia nostra, sicut, & anima eius fuit vniuersa speciei cum anima nostra. Sed scientia nostra est in genere habitus: Ergo & scientia Christi fuit habitualis.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, modus huius scientiæ indita anima Christi fuit conueniens ipsi subiecto recipienti: nam receptum est in recipiente per modum recipientis. Est autem hic modus connaturalis anima humana, vt quandoque sit intelligens actu, quandoque in potentia. Medium autem inter puram potentiam, & actum completum est habitus. Eiusdem autem generis est medium, & extrema: & sic patet, quod modus connaturalis anima humana est, vt recipiat scientiam per modum habitus. Et ideo dicendum est, quod scientia indita anime Christi fuit habitualis, & poterat ea vti, quando volebat.

Ad primum ergo dicendum, quod in anima Christi fuit duplex cognitio, & vtraque suo modo perfectissima. Vna quidem excedens modum naturæ humanæ: quæ scilicet videtur Dei essentiam, & alia in ipsa, & hæc fuit perfectissima simpliciter: & talis cognitio non fuit habitualis, sed actualis respectu omnium, quæ hoc modo cognouit, alia autem cognitio fuit in Christo secundum modum proportionatum naturæ humanæ: prout scilicet cognouit respectus species sibi diuinitus inditas, de qua cognitione nunc loquimur. Et hæc cognitio non fuit simpliciter perfectissima in genere humanæ cognitionis: vnde non oportuit, quod esset semper in actu.

Ad secundum dicendum, quod habitus reducitur in actum ad imperium voluntatis: nam habitus est, quo quis agit, cum voluerit. Voluntas autem indeterminate se habet ad infinita. Nec tamen hoc est frustra, licet non in omnia actualiter tendat, dummodo tendat actualiter in id, quod conuenit loco, & tempori. Et ideo etiam habitus non est frustra, licet non omnia reducatur in actum, quæ habitui subiacent, dummodo reducatur in actum id, quod congruit ad debitum finem voluntatis, secundum exigentiam negotiorum, & temporis.

Ad tertium dicendum, quod bonum, sicut, & ens, dupliciter dicitur. Vno modo simpliciter: & sic bonum, & ens dicitur substantia, quæ in suo esse, & sua bonitate subsistit, alio modo dicitur ens, & bonum secundum quid: & hoc modo dicitur ens, & bonum accidens: non quia ipsum habeat esse, & bonitatem, sed quia eius subiectum est ens, & bonum. Sic igitur scientia habitualis non est simpliciter melior, aut dignior, quam anima Christi, sed secundum quid: cum tota bonitas habitualis scientiæ cedat in bonitatem subiecti.

Sensus questio.

E TITVLVS explicat Suarez in commentario.

Forma Textus.

CONCLVS. est: Scientia indita anime Christi fuit habitualis. Probatur: Quia modus huius scientiæ indita anime Christi fuit conueniens subiecto recipienti; ergo. Antecedens probatur: quia receptum est in recipiente per modum recipientis; Consequentia vero probatur: Quia modus connaturalis anime humanæ est, vt quandoque sit intelligens actu, & quandoque in potentia; ergo modus

modus huius scientiæ connaturalis est, ut quando-
que sit in habitu. Probatur hæc illatio: quia me-
dium inter puram potentiam & actum comple-
tum est habitus, & medium est eiusdem generis
cum extremis: ergo si modus connaturalis animæ
humanae est, ut quandoque sit intelligens actu,
& quandoque in potentia, sequitur, ut modus hu-
ius scientiæ, qui est conformis modo subiecti re-
cipientis, sit ut quandoque sit in habitu.

Expositio Textus.

VIM consequentiæ ultimi enthymematis assu-
mentis medium esse eiusdem generis cum ex-
tremis explicat optime Cai.

*Videnda sunt, quæ pro declaratione litteræ scri-
bunt Cai Med. & Suar. in Comm.*

*Circarepons. ad 2. quærent Suar. disp. 28. sect. 1. &
Vasq. disp. 53. c. 2. Vtrum anima Christi fuerit, aut esse
potuerit semper in actu secundo huius scientiæ? Sed huius
quæsitio satisfecimus supra art. 1. in 2. quæstione. seu
parte Controversia ad illum articulum. Vasq. loco notato
confutat optime sententiam Scoti.*

Hic tamen nonnulla ad ampliorem huius ar-
ticuli declarationem, & eorum, quæ breuiter su-
pra diximus intelligentiam annotabimus.

*Vniuersalis
scientia Christi,
si, & no-
stra.*

*Observandum est igitur primo dictum illud San-
ctissimi Doctoris in argumento, sed contra videli-
cet scientia Christi, de qua nunc loquimur, vniuersalis fuit
scientia nostra: sicut anima eius fuit vnus spe. iei cum a-
nima nostra non esse intelligendum de vniuersali
tatione tantum in genere habitus, ut exponit Me-
dina. Primo: quia S. D. eam constituit vniuersali-
tationem inter hanc scientiam & nostram, quæ est
inter animam Christi & nostram: hæc autem est
vniuersalis secundum atomam speciem: ergo, se-
cundo: quia ex sola vniuersali tatione generica scien-
tiæ Christi cum nostra non potest inferri eam esse
habitualement: quia visio beatifica & cognitio pro-
phetica vniuersali tationem habent in genere cogni-
tionis cum scientia nostra Theologiæ & cum sci-
entia indita animæ Christi: & tamen duæ illæ prio-
res cognitiones non sunt habituales, sed actuales:
Tertio: quia scientia nostra & scientia Angelorum
sub vno genere cognitionis vniuersali cōtinentur:
& tamen non licet inferre scientiam nostram esse
sine discursu, & absque conuersione ad phantaf-
mata, sicut est Angelorum cognitio: ergo nec in
proposito, &c. Est igitur exponendum dictum il-
lud de vniuersali tatione quo ad modum. Nam, ut
supra diximus cum D. Th. scientia hæc recipitur in
anima Christi secundum modum naturæ ipsius a-
nimæ, cui cum sit rationalis, connaturale est in-
telligere per conuersionem ad phantasmata, &
cum cōpositione & discursu: & ideo potuit Chri-
stus ea vi modo eiusdem atomæ speciei cum mo-
do scientiæ nostræ, scilicet per conuersionem ad
phantasmata, & componendo ac discurrendo:
fuit igitur hæc scientia Christi dupliciter vniuersa-
li scientiæ nostræ: primo quidem in ratione generi-
ca cognitionis: secundo in ratione modi: qui du-
plex est scilicet receptionis in anima secundum mo-
dum ipsius & vsus iam dicti.*

*Christum
per hanc sci-
entiam non
omnia sem-
per actu
sunt consi-
derasse.*

*Secundo notandum est S. Thomam in responsione
ad primum argumentum constituere differentiā
inter hanc scientiam & beatam: quod beata ex-
cedit modum naturæ humanæ & fuit perfectissima
simpliciter & semper in actu respectu omnium,
quæ in essentia Dei videbat: hæc autem scientia
non fuit simpliciter perfectissima, sed fuit rātum
perfectissima in genere humanæ cognitionis, &
fuit in Christo secundum modum proportiona-
tum humanæ naturæ: & ideo non oportuit ut ef-
ficeret semper in actu. Vbi S. D. loquitur de propor-*

tione non essentiali sed modali: Quamuis enim
hæc scientia sit ordinis supernaturalis, infusata-
men fuit animæ Christi secundum modum illi pro-
portionatum & connaturalem: quia sc. eius spe-
cies singulas tantum naturas rerum cum indiui-
duis, & eorum accidentibus repræsentabant, &
illis uti poterat per conuersionem ad phantasma-
ta: atque adeo componendo, diuidendo & dis-
currendo, & ita ut non semper esset in actu secun-
do quo ad singulas species, sed pro libito volun-
tatis quo ad aliquam vel aliquas tantum, quo ad
reliquas autem in habitu seu in potestate ad actum
secundum. Cognitio enim habitualis ad actum
reducitur per voluntatem: quæ non necessario
fertur, nisi in obiectum in finem bonitatis clare vi-
sum: quod est illa bonitas per essentiam: quæ est
essentia Dei, & consequenter etiam in ea, quæ in
essentia Dei sic visa, ut in obiecto primario repræ-
sentantur. Vnde beatorum voluntas non solum
necessario vult intellectum semper actu intende-
re visioni essentia Dei, in qua posita est summa
felicitas, sed etiam necessario vult intellectum in
ipsa essentia contemplari creaturas, quas in ea
Deus illi per lumen gloriæ manifestat. Non po-
test autem essentia Dei, nisi per ipsam essentiam,
ut speciem per se ipsam actuantem intellectum,
videri, & ideo licet anima Christi per species in-
dita scientiæ Deum cognosceret, non tamen ip-
sum per illas species clare videbat, & multo mi-
nus creaturas in ipso: ac proinde non semper actu
cognoscebat omnia per species illius scientiæ re-
præsentata, sed quandoque vnum & quandoque
aliud. Cum igitur ait S. D. cognitionem huius sci-
entia fuisse secundum modum proportionatum
humanæ naturæ, de proportionem loquitur non
essentialiter: sed loquitur de proportionem secundum
modum humanæ naturæ proprium: qui est intel-
ligere quandoque in habitu, & quandoque in a-
ctu secundo: quam proportionem non habet sci-
entia beatæ visionis: quia fit per ipsam Dei essen-
tiam clare seipsam, ut summum bonum repræsen-
tantem, & eleuantem intellectum creatum ad ma-
ximam diuini intellectus similitudinem, ipsumque
perfectum secundum supremum eius gradum
& nobilissimam potentiam obedientialem: secun-
dum quam trahi potest ad consortium diuinæ
beatitudinis: quæ semper in actu est: & propter
hoc ait S. D. scientiam beatæ visionis excedere mo-
dum humanæ naturæ.

*Modus hu-
manæ scientiæ.*

*Tertio recolendum est, quod supra diximus, nimi-
rum scientiam hanc esse quidem subalternatam
scientiæ beatæ visionis, & illi coniunctam in eo-
dem subiecto: ex quo sequitur, ut anima Christi
Domini semper actu videat in essentia Dei ea, quæ
in scientia nostra Theologiæ principia sunt: ex
quibus anima Christi potest veluti principijs uti
discurrendo: Nec tamen sequitur animam Chri-
sti semper actu uti principijs omnibus, & ex eis o-
mnes deducere conclusiones: quia modus hic in-
telligendi non est humanæ naturæ proportiona-
tus: sicut ob eandem causam non sequitur animam
Christi utentem hac scientia sine discursu vniuersa-
li considerare, quorum principia videt in essen-
tia Dei. Nam, ut dictum est, hic modus non est a-
nimæ rationali proportionatus: quæ distincte sin-
gulas rerum naturas per singulas species intelli-
git: nec scientia hæc, cum exit in actum sine dis-
cursu, conclusiones deducit ex principijs, sed mo-
dum habet Angelicæ cognitionis. Et sicut Ange-
lus, aut quilibet anima beata, licet in Verbo vide-
at non solum principia suæ Theologiæ, sed etiā o-
mnes conclusiones, non ideo tamen per scientiā*

Theologicam extra Verbum omnia simul actu A contemplatur: quoniam hic intelligendi modus nō solum animæ rationalis, sed etiam Angeli naturam excedit: ita nec anima Christi debuit vniuersa per hanc scientiam simul actu cognoscere, licet ea simul actu videret in Verbo. Sunt enim hæc cognitiones diuersarum rationum & ordinū, & per diuersas species: & ideo quamuis sint subordinatæ, vna non necessario infert aliam: sicut contingit in cognitione præmissarum & conclusionum: quæ sunt eiusdem ordinis & per eandem species: in quibus tamen vna semper sola conclusio, non autem plures simul actu deducuntur ex præmissis.

Perfectio
huius scien-
tiæ.

Quarto sciendum est scientiam hanc animæ fuisse simpliciter perfectiorem quacunque scientia ci-
tra beatam animæ separatæ, aut Angelo, vel etiam B. Virgini collata: vt patet ex dictis supra art. 1.

Ex quo sequitur primo scientiam hanc fuisse semper in actu respectu alicuius obiecti. Angelus enim semper est in actuali cognitione alicuius rei extra Verbum: vt probat S. D. in 2. cont. gent. cap. 97. & Ban. 1. p. q. 88. a. 2. in resp. ad 3. argum. Tur. Quem cognitionis modum probat in allegato cap. S. D. animæ separatæ conuenire. Sed probatur etiam ratione Christum per hanc scientiam semper aliquid actu cognouisse. Quoniam, vt S. D. hic ad 2. ait, scientia habitualis in Christo tendebat actualiter in id, quod congruebat ad debitum finem voluntatis secundum exigentiam negotiorum & temporis: sed in qualibet parte temporis occurrebant actus hominum præmio vel pœna digni, quos cum eorum obiectis & circumstantijs debuit Christus tanquam ad se pertinentes actu considerare: ergo.

Semper a-
ctu respectu
Dei.

Secundo sequitur Christum per hanc scientiam Deum semper in actu secundo cognouisse: Nam de Beatissima Virgine multi Doctores affirmant eam etiam inter dormiendum aliquam Dei cognitionem actualem habuisse, ita vt de illa vere dici posset illud Cant. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat, vt etiam in huius loci expositione docent Rupertus & Carthus. & ante eos Ambr. lib. 2. de Virgin. & Albertus M. in lib. de B. Virgine, c. 177. & 178. & S. Anton. in quarta parte, tit. 15. cap. 20. §. 6. & Canisius in lib. de B. Virgine, & alij plures. Continuum etiam Dei cognitionem actualem Angelos habuisse constat ex ijs, quæ diximus in 1. p. q. 56. controu. 1. & 2. ergo multo magis hæc, & altior de Deo cognitio continua est animæ Christi secundum hanc scientiam tribuenda.

Christus
per hanc
scientiam
quandoque
omnia si-
mul cogno-
uit.

Tertio sequitur probabilem esse eorum opinionem, qui dicunt Christum aliquando vno vel pluribus actibus omnia simul actu cognouisse, quæ sub obiecto scientiæ huius inditæ continentur. Probatur primo: quia hoc consonat maximæ excellentiæ luminis huius scientiæ. Si namque potest Angelus naturaliter per plures species plura simul actu cognoscere, saltem imperfecte, multo magis anima Christi per scientiam hanc supernaturalem excellentissimam poterit, quando voluerit, omnia simul actu cognoscere. Secundo probatur. Quoniam ad statum & dignitatē Christi pertinebat, vt in primo suæ conceptionis instanti vniuersa cognosceret per species huius scientiæ representata: vt tota sua virtute Deo gratias ageret. Deum igitur vt suum benefactorem, & tot excellentium donorum largitorem, creaturas autem vt sibi traditas à patre, & suæ dominationi subiectas cognoscere debuit anima Christi: non confusentium & in vniuersali, sed distincte & in particulari: cognitio enim in vniuersali imperfecta est, vt ait S. D. 1. p. q. 14. a. 6. & 9. & q. 55. a. 3.

ad 2. & secundo cont. gent. cap. 98. & alibi. Denique probatur: Christus in quantum homo, & per scientiam inditam iudex est viuorum & mortuorum: iudicium autem vniuersale fiet in instanti: igitur in vno instanti Christus secundum scientiam inditam vniuersa distincte cognosceret, de quibus est iudicaturus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum hac scientia fuerit distincta per diuersos habitus.

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod in anima Christi non fuerit, nisi vnus habitus scientiæ. Quanto enim scientia est perfectior tanto est magis vnita: vnde, & Angeli superiores per formas magis vniuersales cognoscunt, vt in prima parte dictum est. Sed scientia Christi fuit perfectissima: ergo fuit maxime vna. Non ergo fuit distincta per plures habitus.

Præerea: Fides nostra deriuatur à scientia Christi: vnde dicitur Hebræorum duodecimo afficientes in autorem fidei, & consummatorem Iesum. Sed vnus est habitus fidei de omnibus creditibus: vt in secunda parte dictum est. Ergo multo magis in Christo non fuit nisi vnus habitus scientiæ.

Præerea: Scientia distinguuntur secundum diuersas rationes subiectum. Sed anima Christi omnia sciuit secundum vnā rationem, scilicet secundum lumen diuinitus infusum. Ergo in Christo fuit tantum vnus habitus scientiæ.

Sed contra est, quod Zacharia 3. dicitur, quod super lapidem vnum, id est Christum sunt septem oculi. Per oculum autem scientia intelligitur. Ergo videtur, quod in Christo fuerint plures habitus scientiæ.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, scientia indita animæ Christi habuit modum connaturalem animæ humane. Est autem connaturale animæ humane, vt recipiat species in minori vniuersalitate, quam Angeli: ita scilicet, quod diuersas naturas specificas, per diuersas species intelligibiles cognoscat. Ex hoc autem contingit, quod in nobis sint diuersi habitus scientiarum, quia sunt diuersa subiectum genera: in quantum scilicet, ea quæ reducuntur in vnum genus eodem habitu scientiæ cognoscuntur. Sicut dicitur in primo Posteriorum quod vna scientia est, quæ est vniuersi generis subiecti. Et ideo scientia indita animæ Christi fuit distincta secundum diuersos habitus.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut supra dictum est, scientia animæ Christi est perfectissima, & excedens Angelorum scientiam, quantum ad id quod consideratur in ea ex parte Dei influentis: est tamen infra scientiam Angelicam, quantum ad modum recipientis. Et ad huiusmodi modum pertinet, quod scientia illa per multos habitus distinguatur, quasi per species magis particularis existens.

Ad secundum dicendum, quod fides nostra innititur primæ veritati: & ideo Christus est author fidei nostræ secundum diuinam scientiam, quæ est simpliciter vna.

Ad tertium dicendum, quod lumen diuinitus infusum, est communis ratio intelligendi, quæ diuinitus reuelantur: sicut, & lumen intellectus agentis eorum, quæ naturaliter cognoscuntur. Et ideo oportuit esse in anima Christi proprias species singularium rerum ad cognoscendum cognitione propria vnumquodque. Et secundum hoc oportuit esse diuersos habitus scientiæ in anima Christi: vt dictum est.

Sensus quæstii.

ITVLVM explicat Caiet. quem sequitur Suar. in Comm.

Forma Textus.

CONCL. est: Scientia animæ Christi fuit distincta secundum diuersos habitus. Probatur: ex hoc contingit, quod in nobis sunt diuersi habitus scientiarum,

tiarum, quia sunt diuersa scibilia genera, in quâ-
tum scilicet ea, quæ reducuntur in vnum genus,
eodem habitu scientiæ cognoscuntur: sed res-
pectu scientiæ Christi inueniuntur diuersitas generis
scibilis: ergo fuit distincta per diuersos habitus.
Maior probatur auctoritate Aristot. 1. post. dicen-
tis, quod vna scientia est vnius generis subiecti.
Minor, quæ implicite tantum habetur in textu.
Probatur: quia connaturale est animæ humanæ,
vt recipiat species in minori vniuersalitate, quam
Angeli, ita scilicet quod diuersas naturas specifi-
cas per diuersas species intelligibiles cognoscat,
& consequenter etiam respiciat diuersa genera
scibilia: Ars scientia indita animæ Christi habuit
modum connaturalem animæ humanæ: ergo sci-
entia indita animæ Christi est distincta per diuer-
sas species intelligibiles iuxta diuersitatem natu-
rarum specificarum: & consequenter etiam respicit
diuersa genera scibilia.

Expositio Textus.

Quo sensu intelligendū sit scientiam inditam
animæ Christi fuisse distinctam per diuersas
species intelligibiles iuxta naturarum specificarū
distinctionem, declarat optime Caiet. dicens per
hoc non negari per vnamquamque speciem re-
presentari singularia sub ea contenta, & eius pro-
prietates & accidentia: quia species illæ non per
accidens, sed ex suo genere sunt infusæ. Quomo-
do etiam ex prædicta specierum distinctione se-
quatur distinctio secundum diuersa genera scibi-
lia, probat idem expositior à minori dicens: si sci-
entia hæc distinguitur per diuersas species, & e-
rgo multo magis distinguitur secundum diuersa
genera scibilia: cum multo minor sit distinctio
per diuersa genera scibilia, quam per diuersas spe-
cies. Vbi tamen aduerte sermonem hic esse de di-
uersis generibus scibilibus nō formaliter sed ma-
terialiter tantum: vt ex dicendis patebit.

QUATVOR hic moueri solent controuersie.
PRIMA: An species huius scientiæ deferentes fuerint ma-
gis vniuersales, quam species intellectus humani, aut etiā
Angelici? SECUNDA est: An scientia hæc infusa anima
Christi sit aliquis habitus distinctus à speciebus? TERTIA
est: An hic habitus sit vnus tantum, vel plures? VLTIMA
est: An lumen huius scientiæ distinguatur à lumine gloriæ?
Ex quibus prima propter recentiorum obiecta
diligentius erit examinanda. Cæteras vix breui-
ter attingemus.

Prima Controuersia.

An species huius scientiæ deferentes fuerint vniuersalio-
res speciebus intellectus humani, aut etiam
Angelici?

Sent. Doct. **M**ARSILIUS in 3. q. 10. a. 2. docet vnam solam
speciem vniuersalem representantem infusam
fuisse animæ Christi.

In alio extremo est Scotus in 3. dist. 14. q. 3. & 4.
dicens scientiam infusam animæ Christi eiusdem
rationis esse cum acquisita, & singulas non tantū
singularum naturarum, sed etiam singulorum in-
diuiduorum species continere.

S. D. in eadem dist. q. vnicā a. 3. quaestione. 4. docet
scientiam inditam animæ Christi fuisse magis vni-
tam, & per species magis vniuersales, quā aliqua
scientia creaturæ. Et quia diuersa species secundum ge-
nus faciunt (inquit) diuersos habitus scientiarum, ideo
anima Christi, quæ habuit scientiam magis vniuersalem,
quam aliquis Angelus, non habuit diuersos habitus, quib.
cognosceret, sed vno habitu omnia cognouit, quæ ad hanc

scientiam pertinent, quamuis diuersis speciebus. Quam
sententiam sequitur Suarez disp. 29. sect. 1. & 3.

Sed idem S. D. in hoc articulo docet scientiam
inditam animæ Christi fuisse distinctam per di-
uersas species intelligibiles iuxta diuersitatem na-
turarum specificarum, ac proinde etiam fuisse di-
stinctam per diuersos habitus. Quam sententiam
sequuntur omnes Thomistæ, & addit Cai. duo:
primum est, dictam specierum distinctionem iuxta
naturarum diuersitatem intelligendam esse quo
ad diuersitatem naturarum, quæ proprie naturæ
sunt: hæc vero sunt substantiæ: nam per vnam (in-
quit) & eandem speciem infusam intelligit ani-
ma Christi substantiam & proprietates & accidē-
tia eius. Secundum est, non ita intelligendum esse
species illas intelligibiles dearticulari ad naturas
specificas, vt præcise representent eas, & nō prin-
cipia indiuiduantia, vt faciunt species intelli-
gibiles à phantasmatibus abstractæ: sed vna & ea-
dem species, non solum naturam specificam, sed
omnia etiam infinita indiuidua sub ea contenta
representat: In quam sententiam videtur incli-
nare Valquez disp. 52. c. 1. Addens quasdam huius
scientiæ species esse supernaturales tam secundū
substantiam, quam secundum modum: quasdam
vero secundum modum tantum: quia scilicet in-
funduntur à Deo homini præter consuetum natu-
ræ cursum, quales sunt omnes rerum natura-
lium species: hæc namque naturales sunt secun-
dum substantiam, quoad modum vero superna-
turales: sed disp. 54. cap. 4. in fine priorem approbat
S. D. opinionem.

SCIENDVM est primo ex D. Th. de Ver. q. 3. a. 1. ad
2. & 3. quod ad speciem, quæ est medium co-
gnoscendi, duo requiruntur, scilicet represen-
tatio rei cognitæ, quæ conuenit ei secundum pro-
prietatem ad cognoscibile: & esse spirituale
vel immateriale, quod ei conuenit, prout habet
esse in cognoscente. Quæ duo nō necessario per-
fectionis habent æqualitatem: sed potest in eadem
specie intelligibili vnum esse perfectius altero. Et
cum cognitio causetur ex specie, & in cognitione
duo sint: primum est ipsa natura cognitionis, quæ
sequitur speciem secundum comparisonem, quā
habet ad intellectum, in quo est: Secundum est,
determinatio cognitionis ad cognitum, quæ le-
quitur relationem speciei ad rem ipsam: quanto
species erit immaterialior, tanto erit efficacior
cognitio: conuenit autem speciei immaterialitas
in ordine ad cognoscentem, cui in quantum hu-
iusmodi, conuenit immaterialitas vt eius natura:
vt patet ex 1. p. qu. 14. a. 1. igitur quanto immateria-
lior erit intellectus, & ipsa intelligentis natura,
tanto efficacior erit cognitio, similiter quāto spe-
cies similior erit rei cognitæ per modum represen-
tationis, tātō erit cognitio magis determinata.

Secundo considerandum est lumen intelligibile tā
naturale quam supernaturale, esse medium co-
gnoscendi se tenens ex parte cognoscentis: quod
S. D. in 1. p. q. 12. a. 5. ad 2. & appellat medium sub
quo: & ibidem de lumine gloriæ loquens ait illud
esse augmentum virtutis intellectiue: quæ ex se
sufficiens non est ad videndam diuinam essentia:
& secundum hoc lumen efficiuntur (inquit) beati
Deiformes, id est Deo similes iuxta illud 1. Jo. 3. Cū
apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eū, sicuti est, &
in 2. eiusdē q. art. ait, virtutem intellectiua creaturæ
esse aliquā participatam similitudinē Dei, quate-
nus est primus intellectus: atq; ideo virtutē intel-
lectualē creaturæ dici lūmē quoddā intellectuā-
le, quasi à prima luce derivatū, siue hoc intelligat-
ur de virtute naturali, siue de aliqua perfectione
superaddita gratiæ vel gloriæ: & concludens ait:

Requi-

Resolutio.
Species in-
ditas ani-
mæ Christi
esse perfecti-
ores essentiā
liter specie-
bus Ange-
lorum, mi-
nus tamen
vniuersa-
les, & sin-
gularium
etiam esse
representa-
tiuas, & se-
cundū pro-
prietatem
sententiam
esse superna-
turales.

Requiritur ergo ad videndum Deum aliqua Dei similitudo ex parte visiva potentia, qua sit efficax intellectus ad videndum Deum: Ex quibus sequitur euidenter intellectum creatum per lumen supernaturale gradum supernaturalis immaterialitatis acquirere. Nam vis intelligendi in immaterialitate consistit: quæ, ut ante diximus, propria natura est cognoscens, ut cognoscens est. Et quia lumine supernaturali species creatæ illuminantur ad clare & distincte representanda supernaturalia. (Nam lumine fidei, prophetiæ, prudentiæ infusæ, donorum Spiritus S. & Theologiæ species ordinis naturalis illuminantur & eleuantur ad representanda supernaturalia, & ad actus cognitionis circa ea eliciendos) ideo species etiam infusæ animæ Christi ex plenitudine luminis supernaturalis clarius & distinctius tam naturalia, quam supernaturalia representant, quæ species cuiuslibet Angelorum naturaliter aut supernaturaliter indita: quod etiam significat S. D. supra art. 4. dicens, ideo scientiam animæ Christi fuisse multo excellentiorem Angelorum scientia, quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad scientiæ certitudinem, quia lumen spiritualis gratiæ, quod est inditum animæ Christi, est multo excellentius, quam lumen quod pertinet ad naturam Angelicam. Itaque lumen supernaturale non solum perficit & eleuat virtutem intellectus ad intelligendum supernaturalia, sed etiam perficit species tam naturales, quam supernaturaliter inditas ad clare & distincte representanda supernaturalia. Cum enim in specie talis obiecti representatiua duo sint, scilicet representatio talis obiecti, prout a quolibet alio distinguitur, & modus representandi magis aut minus clare aut euidenter: primum est ex specie: secundum autem est ex gradu luminis tanquam ex propria causa: sed lumen additum speciebus ordinis naturalis aliquid amplius efficit, ut scilicet extendantur & eleuentur ad supernaturalia representanda: ut patet de luminibus fidei, prophetiæ &c.

Ex his sequitur primo species inditas animæ Christi non esse minus sed multo magis immateriales, quam sint species siue naturaliter siue supernaturaliter inditæ mentibus Angelorum. Probat hoc ex dictis: quia lumen intelligibile se tenet ex parte intellectus, & addit illi virtutem & immaterialitatem.

Secundo sequitur has species esse speciebus Angelicis essentialiter perfectiores. Probat: quia species animæ Christi perfectionem habent representationis ex altiori & nobiliori lumine, quæ sit lumen Angelicum: sumuntur autem ut vnum species, & lumen, ut eius perfectum ad representandum: igitur species animæ Christi simpliciter loquendo sunt essentialiter perfectiores speciebus Angelorum. His adde species animæ Christi representare futura contingentia, cordium cogitationes & omnia creaturis conuenientia secundum ordinem diuinæ providentiæ supernaturalis.

Tercio notandum est potentiam obedientialem intellectus humani ad species supernaturales recipiendas illi conuenire non solum, ut participat gradum intellectualitatis, qui communis est animæ, Deo & Angelis, aut qui conuenit Deo & Angelis, prout modum excedunt intelligendi proprium animæ nostræ: sed etiam secundum illum infimum gradum, qui conuenit animæ nostræ ex vltima sua differentia, quatenus scilicet est rationalis. Ex quo sequitur, ut in potentia obedientiali animæ nostræ non recipiantur species supernaturaliter infusæ secundum totam capaci-

tatem & amplitudinem illi conuenientem, ut precise participat gradum intellectualem Deo & Angelis conuenientem, prout animæ nostræ modum excedunt, sed iuxta capacitatem animæ nostræ consideratam, quatenus infimum habet intellectualitatis gradum, prout scilicet est rationalis. Et ideo species inditæ animæ Christi debuerunt esse longe minus vniuersales, quam species Angelorum, ut scilicet singulatum naturarum singulas haberet species representatiuas, ut per eas modo sibi connaturali elicere posset intellectiones per conuersionem ad phantasmata, & componendo ac diuidendo, & discurrendo Alioquin species omnes supernaturaliter infusæ tam Angelis, quam hominibus aut animabus separatis eandem haberent vniuersalitatem, cum eadem in omnibus sit potentia obedientialis, & equalis amplitudinis capacitas ad eas recipiendas secundum gradum intellectualitatis eis communem. Sed quia species illæ ex suo genere non erant ex sensibilibus acquiratæ, sed infusæ per se, ideo in representando non abstrahabant à singularibus, & conditionibus, & accidentibus in eis existentibus, sed quælibet species simul cum natura representabat indiuidua cum eorum proprietatibus, conditionibus & accidentibus.

Quarto obseruandum est vniuersalitatem scientiæ ex duplici capite posse considerari. Primo ex parte specierum: quando scilicet vna quælibet species plures rerum naturas specificas, aut etiam genericas representat: ut patet de speciebus Angelorum, & præsertim supremæ Hierarchiæ. Secundo ex parte luminis, quod extenditur ad diuersorum generum & ordinum obiecta: puta naturalia & supernaturalia, futura contingentia & cogitationes cordium: quod soli conuenit luminis scientiæ inditæ animæ Christi. Et quia potest anima Christi cum voluerit vti scientia indita secundum totam sui luminis facultatem, & secundum omnes eius species simul in actu, ideo secundum hanc rationem dici potest non solum scientia, sed etiam species eius simul sumptæ vniuersaliores speciebus omnibus Angelicis, etiam simul sumptis: & ita possent diuersa dicta S. Thomæ quæ videntur opposita, conciliari: quam conciliationem ex parte videtur attigisse Bergomenis in aurea Tabula dub. 1216.

Quinto notandum est secundum probabilem opinionem species inditas animæ Christi fuisse quidem omnes à Deo supernaturaliter infusas, non tamen erant omnes secundum suam substantiam supernaturales: Nam species rerum naturalium representatiuæ erant ordinis naturalis non minus, quam visus supernaturaliter cæco datus: illæ vero, quæ rerum supernaturalium aut contingentium vel liberarum erant representatiuæ, ad ordinem pertinebant supernaturalem. Et cum vnitas scientiæ formaliter non attendatur ex speciebus, sed ex lumine, quod est ratio sub qua res omnes per species representatæ cognoscuntur, diuersitas illa specierum in scientia Christi in nullo præiudicat eius vnitati. Quod autem priores illæ species ad ordinem pertineant naturalem, patet ex eo, quod per se primo & essentialiter ordinantur ad obiecta naturalis ordinis representanda. Certum est autem in Christi scientia indita fuisse tales species: quia non poterat vna species diuersorum ordinum obiecta representare, sed tantum vna quælibet naturam vnam secundum speciem, ut ante diximus. Probabiliter tamen dici posset vnam quamque speciem infusam animæ Christi representare naturam cum omnibus eius accidentibus, etiam ordinis supernaturalis, illi conuenientibus.

tibus ex ordine ad prouidentiam Dei supernaturalem, atque species omnes scientiæ inditæ animæ Christi esse ordinis supernaturalis: ut ait Cai. Aluarez & alij recentiores.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. Species inditæ animæ Christi sunt essentialiter perfectiores speciebus Angelorum. Hæc patet ex dictis.

SECUNDA CONCL. Species inditæ animæ Christi sunt minus vniuersales, quam species intellectus Angelici.

TERTIA CONCL. Species inditæ animæ Christi distinguuntur & multiplicantur iuxta naturarum substantiarum specificam distinctionem, ita tamen ut vna qualibet representet omnia individua sub natura contenta, & eorum proprietates & accidentia.

QUARTA CONCL. Probabile est species inditæ animæ Christi non omnes esse ordinis supernaturalis, sed quasdam etiam esse ordinis naturalis: cum tamen sint supernaturaliter inditæ: Hæc patet ex dictis, & tenent eam Medina, Vasquez, & alij.

VLTIMA CONCL. Probabilius est species omnes infusas animæ Christi esse supernaturales: Hanc probant argumenta quæ producentur contra quartam conclusionem. Et probatur etiam: quia si sint species supernaturales, poterunt representare res naturales & eorum accidentia supernaturalia: si vero sint ordinis naturalis, representabunt tantum naturalia & non poterunt extendi ad supernaturalia, & necesse erit per alias species ordinis supernaturalis representari accidentia rerum supernaturalia, & ita multiplicabuntur absque necessitate species in anima Christi.

Ob. cont. i. concl. **CONTRA primam concl.** est hoc argumentum: Species inditæ animæ Christi sunt minus immateriales quam species Angelorum: ergo sunt imperfectiores. Antec. probatur: quia subiectum in quo recipiuntur, scilicet anima, est minus immateriale quam Angelus: ergo. *Resp.* falsum esse antec. Ad probationem negatur assumptum: quia immaterialitas animæ & intellectus non attenditur tantum secundum esse naturale, sed etiam & principaliter, ex gratia & lumine supernaturali virtutem intellectus eleuante & augente: ut supra diximus.

Solut.

Obi. cont. 2. concl.

Conf. 1.

Conf. 2.

Solut.

CONTRA secundam concl. argumentatur Suar. *Primo:* quia in omnibus aliis perfectionibus gratiæ & scientiæ animæ Christi superauit Angelos: ergo etiam in ista: ergo species eius sunt vniuersaliores speciebus Angelorum. *Confirmatur primo:* quia species infunduntur proportionatæ lumeni & intellectui non secundum se, sed prout eleuatur per lumen: at lumen scientiæ infusæ animæ Christi est excellentius lumine intellectus Angelici: ergo. *Prima propositio probatur:* quia obiectum vnitur potentiæ ut eleuatur: ut exemplo patet in visione beata, in qua (ut ita dicam) vniuersaliori modo vnitur essentia diuina intellectui Christi, quam Angelorum propter perfectius lumen. *Secundo confirmatur:* quia istæ species in sua entitate, & substantia sunt perfectiores, quam Angelicæ, ut ait S.D. in art. 4. *Resp.* nullam esse secundam consequentiam. *Primo:* quia perfectio specierum essentialis attenditur penes immaterialitatem, representationem & lumen sub quo representant obiecta, magis quam penes modum representandi vniuersaliter. *Secundo:* quia species scientiæ infusæ animæ Christi simul sumptæ plura & nobiliora & clariori modo representant, quam species Angelorum omnes simul sumptæ. *Secundo Resp.* falsum esse antec. loquendo de perfectione ex parte subiecti. Nam quædam dona sunt in ani-

ma Christi, quæ ex parte subiecti habent aliquam imperfectionem, quam non habent in Angelis, ut prudentia infusa & dona intellectualia Spiritus S. quæ in anima Christi possunt actus elicere cum conuersione ad phantasmata, & cum compositione & discursu, non autem in Angelis. *Tertio Resp.* nullam esse consequentiam. Quia dona supernaturalia consequuntur gratiam, quæ datur animæ secundum potentiam obedientialem illi conuenientem secundum gradum ipsius animæ supremum, quo conuenit cum Angelis, & cum ipso Deo, & ideo in anima personaliter Verbo coniuncta debuerunt hæc esse maiora, quam in Angelis: scientia vero inditæ animæ Christi data fuit animæ Christi secundum potentiam obedientialem illi conuenientem, non solum secundum gradum illi cum Deo & Angelis communem, sed et secundum gradum rationale ipsi animæ proprium. *Ad primam confirm.* dico lumen etiam supernaturale ad intelligendum per species infusas fuisse datum animæ Christi secundum utrumque modum potentiæ obedientialis iam dictum. *Ad secundam confirm.* iam dictum est, in quo consistat hæc maior perfectio: & ideo nulla est consequentia.

ad 2. Conf.

ad 2. Conf.

Secundo arguit: quia alias non posset anima Christi vno actu tam multa simul intelligere, quam Angeli possunt: At hoc videtur absurdum: ergo. Probatur sequela maioris: quia solum potest ea simul intelligere, quæ per unam speciem representantur: ergo. *Resp.* falsam maioris consequentiam. Ad probationem negatur antecedens: quia dignitas Christi postulabat, ut quandoque pluribus, aut etiam omnibus simul speciebus vteretur ad intelligendum: licet modus speciebus animæ connaturalis vnus tantum aut duarum simul specierum vsum admittat: Ille tamen modus intelligendi quandoque pluribus aut omnibus simul speciebus dici potest animæ Christi connaturalis, quatenus dignitatem habet vniuersalis personalis ad Verbum, & prout est caput omnium saluatorum, cui propter causas superius assignatas conuenit omnia per species infusas representata simul intelligere.

Obi. 2.

Solut.

CONTRA eandem conclus. est hoc argumentum: Christus ut homo illuminat Angelos: ut ait Dionysius 7. c. *Cælest. Hierar.* quod etiam patet ex dictis supra quæst. 8. artic. 4. igitur habet species vniuersaliores speciebus Angelorum. Probatur consequentia. Nam qui illuminat alterum, concipit magis vniuersaliter, quam ille qui illuminatur: ut ait S.D. in 1. p. q. 106. a. 1. & ibi Caiet. *Resp.* nullam esse consequentiam. Ad probationem dico: licet in Angelis superioribus illuminantibus inferiores sit illa maior vniuersalitas specierum: in Christo tamen non esse necessariam: eo quod eius species longe maiorem habeant perfectionem & excellentiam, quam sit vniuersalitas. Habent enim lumen altioris ordinis, & plura ac altioris ordinis obiecta representant, & simul possunt per intellectum virtute prædicti luminis adunari ad omnia simul ipsi intellectui representanda, & vno tantum actu intelligenda: quæ longe maior est vniuersalitas & excellentia, quam quæ possit inesse cuiquam Angelicæ speciei.

Obi. 3.

Solut.

CONTRA tertiam concl. sunt hæc argumenta. *Primum:* Anima Christi per species infusas cognoscit Angelos quidditative: ut patet ex dictis supra art. 1. nos autem talem cognitionem habere non possumus per species nostro intellectui connaturales: ut probat S.D. in 1. p. q. 88. a. 1. & Cai. de ente, & essentia, cap. 6. quæst. 14. *Respon.* species illas infusas animæ Christi, quatenus quidditative representant substantias separatas, respicere potentiam

Obi. 2. cont. 3. concl.

Solut.

tiam obedientialem illi conuenientem secundum A gradum, quo conuenit cum ipsis Angelis: quia licet anima Christi per conuersionem ad phantasmata, & per compositionem & discursum possit Angelos intelligere, non tamen eos potest hoc modo cognoscere quidditative. Secundo dico hoc argumento probari non maiorem vniuersalitatem: quia singula singulas quidditates repræsentant, sed perfectionem maiorem specierum animæ Christi: quia perfecte & quidditative repræsentant.

Obi. 2.

Solut.

Secundum est: Quia species infusa fuerunt animæ Christi secundum capacitatem eius obedientialem: quæ maior est Angelorum capacitatem naturali: ergo. *Resp.* animam Christi esse receptiuam B specierum infusarum secundum capacitatem obedientialem illi conuenientem non solum secundum gradum sui supremum, sed etiam secundum gradum rationalem illi proprium, & inter gradus siue modos substantiæ spiritualis infimum: & ideo recipiuntur in ea species secundum modum ipsi animæ connaturalem: qui species exigit intelligibiles dearticulatas iuxta distinctionem specificam naturarum, quæ sunt in vniuerso.

Obi. 1. cont.
4. concl.

Solut.

CONTRA quartam concl. argum. quidam viri doctissimi. Primo: quia actus huius scientiæ secundum se est omnino supernaturalis: sicut & ipsa scientia: ut patet ex dictis supra q. 9. a. 3. ergo etiam species connaturaliter eliciens illum. Probatur conseq. quia effectus de se supernaturalis connaturaliter & perfecte debet elici à Christo mediante principio supernaturali, & proportionato. *Resp.* nullam esse conseq. Ad eius probationem negatur antecedens: sufficit enim lumen intellectus supernaturalis: ex eo namque tam intellectus, quam species in actu eleuatur in ordinem supernaturalem, & illis ut sic connaturalis est actus elicitus supernaturalis.

Obi. 2.

Solut.

Secundo: Species obiectorum naturalium connaturales nequeunt repræsentare omnia, quæ per istas species cognoscuntur de illis: quia non possunt repræsentare accidentia supernaturalia, futura contingentia libera, & ordinem supernaturalis providentiæ: sed species huius scientiæ, licet sint obiectorum naturalium repræsentant omnia ista: ergo species omnes huius scientiæ sunt supernaturales. Minor probatur: quia non oportet in scientia Christi infusa esse duo genera specierum eiusdem obiecti, v. g. hominis, ut scilicet vna repræsententur naturales hominis conditiones, alia vero conditiones supernaturales: Declaratur hoc: Nam lumen huius scientiæ, licet sit supernaturale, manifestat obiecta naturalia sub ratione supernaturali: ergo species illi proportionatæ, licet sint supernaturales, poterunt repræsentare naturalia sub ratione supernaturali, in quo distinguuntur à speciebus naturalibus. eorundem obiectorum, quæ tantum repræsentant naturalia sub ratione naturali & in ordine ad naturalia. *Resp.* nullam esse conseq. Nam sicut in diuina mente accidentia, quæ superueniunt subiecto, specialem habent ideam: quia artifex per formam domus facit omnia accidentia, quæ à principio concommitantur domui: sed ea quæ superueniunt domui iam factæ, ut picturæ & similia facit per aliam formam: ut ait S. D. m. p. q. 15. a. 3. ad 4. ita multo magis anima Christi per speciem infusam hominis cognoscit eius naturam, & conditiones omnes illius ad ordinem naturalem pertinentes: accidentia vero supernaturalia per aliam aut alias species intelligit, ut homini conuenientia.

Obi. 3.

CONTRA eandem concl. argumentatur Aluarez. Primo: Species intelligibiles, quæ deferuiunt ali-

cui scientiæ, debent esse proportionatæ lumini scientifico: alias per eas non posset clare & distincte cognosci obiectum in seipso. Sed lumen scientiæ inditæ animæ Christi est supernaturalis ordinis: ergo similiter & species intelligibiles. *Conf. firmatur*: nam, ut docet Cai. in 1. 2. q. 54. a. 4. coadunatio seu collectio specierum per se pertinet ad scientiam: ergo si scientia est supernaturalis, species intelligibiles debent esse eiusdem ordinis. *Resp.* species intelligibiles se habere ad lumen intellectuale tanquam perfectibile ad perfectionem, & tanquam potentiam ad actum: duplex autem est proportio perfectibilis ad perfectionem, & potentia ad actum: Altera naturalis: quæ attenditur secundum potentiam naturalem in ordine ad actum naturaliter illi coaptatum: altera supernaturalis: quæ attenditur secundum potentiam obedientialem & secundum congruentiam potentia naturalis in ordine ad actum supernaturalem: ut patet de potentia animæ secundum eius essentiam in ordine ad gratiam, & secundum intellectum & voluntatem in ordine ad virtutes & dona spiritualia: & de speciebus per sensus acquisitis in ordine ad lumen fidei & prophetiæ, & de natura humana in ordine ad personalitatem diuinam: de qua congruentia dictum est supra q. 4. a. 1. Ad argumentum ergo dico primam propositionem esse falsam, si loquamur de proportionem naturali: ut patet in simili de lumine fidei & de lumine prophetiæ, & de lumine specierum nostræ Theologiæ: quod est supernaturale, cum tamē species sint ordinis naturalis. Ad probationem, quia alias &c. dico falsam esse consequentiam: ut patet in exemplis allatis, & præsertim in speciebus & lumine nostræ Theologiæ. *Ad con- ad Conf. firmat.* negatur conseq. nullam enim habet apparentiam.

Secundo: Nulla species naturalis ordinis potest repræsentare determinate & distincte futura contingentia in seipsis, vel actus liberos & cogitationes cordium: sed species inditæ animæ Christi hæc repræsentant: ergo. *Resp.* species illas, quæ hæc repræsentant, esse supernaturales: sed præter istas sunt aliæ multæ species naturales.

Tertio: Species intelligibiles deductæ & exemplatæ ab essentia diuina, in quantum habet rationem speciei intelligibilis, sunt ordinis supernaturalis. At species animæ Christi sunt deductæ & exemplatæ ab essentia diuina: ergo. Maior probatur: Quia tales species participant ab essentia diuina virtutem repræsentandi ea, quæ naturaliter cognosci non possunt: ergo. *Resp.* falsam esse maiorem. Ad eius probationem negatur antecedens vniuersaliter sumptum: nam species Angelis connaturales sunt exemplatæ ab essentia diuina, & tamen non repræsentant, nisi quæ naturaliter sunt cognoscibilia.

Quarto: Species inditæ animæ Christi sunt magis perfectæ & clarius ac magis distincte repræsentant obiecta per eandem speciem cognoscibilia: quam species inditæ Angelis, etiam supremis: sed nulla species intelligibilis naturalis ordinis est superior ad species intelligibiles inditas Angelis, præsertim supremis: ergo necesse est dicere, quod species inditæ animæ Christi sunt ordinis superioris. *Resp.* prædictas perfectiones conuenire speciebus animæ Christi etiam naturalibus, non præcise sumptis, sed prout illustratæ sunt lumine supernaturali excellentissimo.

Vltimo arguit: Scientia per se infusa est ordinis supernaturalis: ut omnes Theologi fateantur: ergo similiter species per se infusæ speciali actione à Deo, ut est author gratiæ, pertinent ad ordinem super-

supernaturalem: tales autem sunt species infusæ animæ Christi: ergo. Antec. probatur: Non potest acquiri viribus naturæ, sed solum caulatur speciali actione à Deo, vt est author gratiæ: ergo. Resp. nullam esse conseq. quia scientia includit simul species & lumen: quod in hac scientia est supernaturalis: species autem vt species, non includunt lumen: ex hoc autem quod speciali actione infunduntur à Deo, nec possunt naturaliter acquiri, sequitur tantum eas esse supernaturaliter infusas, non autem omnes esse ordinis supernaturalis.

CONTRA vltimam concl. sunt argumenta: quæ refert & soluit Aluarez disp. 65.

quod dico, perfectum: & S. D. in 1. p. post Dei simpliciter: quæ primo pertinet ad quidditatem Dei, differit immediate de perfectione Dei. Secundo agit S. D. de modo acquisitionis huius scientiæ: & primo in communi in secundo art. quærens: An Christus in hac scientia profecerit. Secundo in particulari in ordine ad duas causas efficientes, sc. hominem & Angelum: ex quibus notior est nobis homo & eius doctrinæ modus, quam sit Angelus cum suo docendi modo: & ideo in tertio artic. quærit: An Christus aliquid ab homine didicerit: in quarto autem & vltimo quærit: Vtrum Christus aliquid acceperit ab Angelis.

B

ARTICVLVS I.

Vtrum secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia.

Secunda Controuersia.

An scientia hac infusa animæ Christi sit aliquis habitus distinctus à speciebus.

DIFFICULTATEM hanc soluit S. D. hic ad 3. dicens in scientia Christi præter lumen diuinum infusum, quod est communis ratio intelligendi ea, quæ diuinitus reuelantur oportere esse in anima Christi species singularium rerum ad cognoscendum vnum quodque propria cognitione, & secundum hoc, id est considerando solam specierum pluralitatem, diuersos esse habitus in anima Christi: quia nimirum diuersæ species diuersi sunt habitus materialiter: vnde etiam scientia Christi respicit diuersa scibilia materialiter: quæ sub vna formali ratione scibilis altioris ordinis continentur.

Videnda sunt, quæ de habitibus Angelorum diximus in 1. p. q. 58. a. 1. & ea, quæ scribunt Cai. 1.2. q. 5.4. a. 4. §. Quo ad quartum, & hic ad 3. & a. 5. in fine & ibi Medina, & Bergomas dub. 1216. & Suarez disp. 29. sect. 2. & 3.

Alias duæ difficultates supra propositas, videlicet tertiam de vnitatem habitus huius scientiæ: & quartam de distinctione luminis eiusdem scientiæ tractat Suarez in allegata disp. 29. sect. 3. & 4. Medina de tertia disputat & eam recte definit.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De scientia animæ Christi acquisita, in quatuor articulis diuisa.

DEinde considerandum est de scientia animæ Christi acquisita, vel experientiali.

Et circa hoc queruntur quatuor.

Primo, vtrum secundum hanc scientiam cognouerit omnia.

Secundo, vtrum in hac scientia profecerit.

Tertio, vtrum aliquid ab homine didicerit.

Quarto, vtrum acceperit aliquid ab Angelis.

Ratio ordinis.

QVÆSTIONIS huius ordo ad præcedentes patet exijs, quæ supra diximus de ordine articulorum, quæstionis nonæ. Huius vero quæstionis articuli sic ordinantur: Nam primo disserit S. D. de quidditate & perfectione scientiæ Christi acquisitæ: quæ consideratur in ordine ad obiectum, quærens in primo artic. An secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia. Vt enim aduertit Cai. in 1. p. q. 83. a. 7. §. Ad cuius euidentiam perfectio & imperfectio prædicata sunt rebus conuenientia intra primum modum dicendi per se: cum sine eis haberi nequeat complete quidditati rei cognitio: Vnde etiam philosophus in 1. Celi primum prædicatum, quod inuestigat de mundo est hoc,

Naz. in D. Thom. 3. partem.

D

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod secundum hanc scientiam Christus non omnia cognouerit. Huiusmodi enim scientia per experientiam acquiritur. Sed Christus non omnia expertus est. Non igitur omnia secundum hanc scientiam sciuit.

Præterea: Homo scientiam per sensum acquirit. Sed non omnia sensibilia sensibus corporalibus Christi fuerunt subiecta. Non igitur secundum hanc scientiam omnia cognouit Christus.

Præterea: Quantitas scientiæ attenditur secundum scibilia. Si igitur secundum hanc scientiam Christus omnia sciisset, esset in eo scientia acquisita æqualis scientiæ infusæ, & scientia beata: quod est inconueniens. Non ergo secundum hanc scientiam Christus omnia sciuit.

Sed contra est, quod nihil imperfectum fuit in Christo quantum ad animam. Fuisse autem imperfecta hæc eius scientia, si secundum eam non sciisset omnia: quia imperfectum est, cui potest fieri additio. Erga secundum hanc scientiam Christus omnia sciuit.

Respondeo dicendum, quod scientia acquisita ponitur in anima Christi (vt supra dictum est) propter conuenientiam intellectus agentis, ne eius actio sit otiosa, quæ facit intelligibilia in actu: sicut, & scientia indita, vel infusa ponitur in anima Christi ad perfectionem intellectus: cuius possibilis. Sicut autem intellectus possibilis est, quo est omnia fieri, ita intellectus agens est omnia facere: vt dicitur in tertio de Anima. Et ideo, sicut per scientiam inditam sciuit anima Christi omnia illa, ad quæ intellectus possibilis est quocumque modo in potentia: ita per scientiam acquisitam sciuit omnia illa, quæ possunt scripi per actionem intellectus agentis.

Ad primum ergo dicendum, quod scientia rerum acquiri potest non solum per experientiam ipsarum, sed etiam per experientiam quarundam aliarum rerum: cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas, & causas per effectus, & similia per similia, & contraria per contraria. Sic igitur, licet Christus non fuerit omnia expertus, ex his tamen, quæ expertus est, in omnium deuenit notitiam.

Ad secundum dicendum, quod, licet sensibus corporalibus Christi non fuerint subiecta omnia sensibilia: fuerunt tamen sensibus eius subiecta aliqua sensibilia, ex quibus propter excellentissimam vim rationis eius potuit in aliorum notitiam deuenire per modum prædictum: sicut videndo corpora caelestia, potuit comprehend. re eorum virtutes, & effectus, quos habent in istis inferioribus, qui eius sensibus non subiacebant. Et eadem ratione ex quibuscumque alijs, in aliorum notitiam deuenire potuit.

Ad tertium dicendum, quod secundum istam scientiam anima Christi non simpliciter cognouit omnia: sed illa omnia, quæ per lumen intellectus agentis homini sunt cognoscibilia. Vnde per hæc scientiam non cognouit essentias substantiarum separatarum, nec etiam singularia præterita, præsentia, & futura, quæ tamen cognouit per scientiam inditam: vt supra dictum est.

Q q

Sensus

77

q. 9. ar. 6.

Tex. 18.

D. 1118.

D. 1217.

In cor. ar.

& q. præc.

& q. 9. a. 3.

& 4.